IHS

SOCIETATIS·IESV·COLLEGII·ROMANI·

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
33 D
36

14
16-c
1

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

47.6.30.

HORTVLVS PHILOSOPHICVS,

AD

EXCOLENDOS SAPIENTIÆ regulis & præceptis adoleſcentûm animos.

Auctore R. P. F. A. D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



BIBL. SEC. COL. ROM. SOC. IESV

PARISIIS,
Apud SEBASTIANVM CRAMOISY
via Iacobæa, ſub Ciconiis.

M. DC. XXXIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

12-23-D-36

Digitized by Google

REVERENDISSIMO
admodum Patri

P. FRANCISCO
A LONGOBARDIS
TOTIVS ORDINIS
Minimorum Generali
meritiſſimo.

REVERENDISSIME Pater, Cogitanti mihi, & attentiori mentis examine conſideranti, cuinam Hortulus iſte Philoſophicus potiori iure ſacrari deberet, occurrit extemplò celeberrimi illius Nolanæ ciuitatis Antiſtitis S. Paulini imitandum exemplar. Qui fidelis non modò Eccleſiaſticarum

à

facultatum, ſed & ſuiipſius diſpenſator, cùm pro vnico pauperis viduæ redimendo ſe Regis Vvandalorum genero captiuum profuſa charitate donaſſet; hortulanum profeſſus, & horti colendi munere ſibi demandato ſtudioſè perfungens, in officioſi erga dominum animi indicium, olera virentéſque herbas ad menſam illius quotidie deferre ſolebat. Huius, inquam, tanti viri ſequor exemplum. Nam cùm à tempore liberrimæ meæ captiuitatis, ſeu, veriùs aſſertionis in libertatem filiorum Dei, Fratrum noſtrorum Philoſophicis & Theologicis ſtudiis præfectus, in excolendis eorum ingeniis diu velut hortulani partes exercuerim: diſputationes in vniuerſam Philoſophiam, qualeſcunque culturæ noſtræ fructus in lucem proferre meditor, & veſtræ Reuerendiſſimæ Paternitati in obſeruantiæ erga illam meæ

teſtimonium offerre. Hortulum interim iſtum, ſuis partibus, veſtibulo, ambulacris, interuallis, areolis, & puluinis non ad libellam, ſed vtcumque diſtinctum præmitto: & in eo fœcunda tum humanæ, tum diuinæ veritatis ſemina, odoratos flores, atque nouellas plantationes conſero. Vt autem pluuiæ Pater & ſtillarum roris Genitor, & hortulum & fuſiores plenioris Sophiæ diſputationes propediem typis mandandas, aqua ſapientiæ ſalutaris irrigare dignetur, veſtræ Reuerendiſſimæ Paternitatis benedictionem omni, quâ par eſt, reuerentiâ exopto & expecto.

Veſtræ Reuerendiſſimæ Paternitati,

Addictiſſimus & obſequentiſſimus
Filius, FR. ANTONIVS DVPRO.

AD LECTOREM.

NON offero tibi, Lector beneuole, hunc Hortulum minimis Philoſophiæ ſeminiis ſatum, ſed Fratribus meis, qui mecum profeſſione minimi à minimis omnia ſua ſtudia auſpicari delectantur: hic eſt enim concinnus ordo tum docendi, tum diſcendi, vt à ſimplicibus procedatur ad compoſita. Hoc Ariſtotelis ſcitum pluribus in locis, ſed præcipuè 1. œconom. c. 2. πρῶτον ἐν τοῖς ἐλαχίστοις ἑκάστου θεωρεῖται. Hoc omnium diſciplinarum ingenium, vt compoſitorum doctrinam non attingant, niſi ſimplicia omnia dilucidè atque diſtinctè ſint explicata. Cæteris omiſſis, vna ſit exemplo grammatica, quæ ordine & neceſſitate prima eſt. Hæc enim antequam ad Syntaxim deſcendat, & orationem congruam facere doceat, non tantùm literas & ſyllabas; ſed nomen quoque, verbum, & reliquas ſimplices orationis partes plenè pertractat; vt his veluti primulis elementis informati ac

præparati puerorum animi, faciliùs doctrinæ ſyntacticæ adyta penetrare, & leges ac canones, quibus recta congruæ orationis conſtructio traditur, imbibere valeant. Idem in Philoſophia omninò fieri neceſſe eſt, ni methodum & ordinem, qui in artibus & ſcientiis perpetuò ſeruari conſueuit, miſcere ac confundere velimus. Quapropter ſingulis illius partibus, ſingula præmittimus breuiaria, in quibus minima quæque Logicæ, Ethicæ, Phyſicæ, Metaphyſicæ rudimenta explicantur, vt ij qui ad Philoſophiæ ſtudium animum appellunt, his veluti prænotionibus imbuti, penetrales diſputationes alacriùs ingrediantur, & occúltas penitúſque abditas rerum cauſas faciliùs inueſtigent. Quod inuentum, etſi prima fronte parùm arduum ac magnificum iis eſſe videtur, qui præclara tantùm & difficilia conſectari ſolent & probare: eò tamen vtilius à pleriſque exiſtimari video, quò paratius auxilium omnibus Philoſophiæ ſtudioſis adferre ſolet. At nunquam venuſta vtilibus præponet, qui horum lucem cuiuis propoſitam, cum illorum ambagibus diligenter contulerit. Vt enim qui aliquem manu apprehenſum

eò perducit, quò maximè cupiebat, benigniùs certè ac commodiùs facere videtur, quàm ſi verbo ſolùm, vel digito, aut alio corporis geſtu iter, Paganorum more, commonſtrauerit: ſic qui terminos artis aut ſcientiæ concinnè diſtribuit, & propriam cuiuſque vim definitione declarat, dum velut correpta manu adoleſcentis bonarum litterarum ſtudioſi, ſtatim ac facilè illuc eum ducit, quò ſe perueniſſe maximè exoptabat, perutilius illi ſanè fecerit, quàm ſi communes tantùm quæſtiones eminùs oſtenderet. Porrò hæc breuiaria Philoſophica in vnum Hortulum compegimus, vt rudes & tenellæ iuuenum mentes quæ leuem etiam laboris ſpeciem refugere ſolent, hac noua docendi methodo illectæ, ſuauiùs in Philoſophiam ſe ſe inſinuent. Hunc fructum olim in Scholis noſtris conſecuti ſumus; nam Fratres noſtri his minimis Philoſophiæ elementis informati magnas ac difficiles diſceptationes aggredi non reformidabant. In poſterum autem hoc minimo labore noſtro vtetur qui volet, quum ſibi erit commodum, ſuiſque ſtudiis vtilem & aptum iudicabit.

HORTVLVS PHILOSOPHICVS,

Ad excolendos ſapientiæ regulis, & præceptis adoleſcentûm animos.

PRÆFATIO.

PLACET *hunc hortulum, quem facere meditamur, Philoſophicum appellare: illum enim, non rebus leuiculis, & parum frugiferis, vel ad breuem præſentémque ſolùm voluptatem idoneis, quaſi Adonidis hortum, conſerimus: ſed ipſius Philoſophiæ ſeminibus, & elementis, Logicis, Ethicis, Phyſicis, Metaphyſicis; quæ, ſapientum calculo, ſeria omnia, & hominum generi apprimè vtilia ſunt, quæque ſuis cultoribus ac poſſeſſoribus fructus mirificos, &*

voluptatem perpetuam afferunt. Meæ ſententiæ adſtipulatur ſanctus & martyr Iuſtinus præclarâ illâ & eleganti Philoſophiæ commendatione, quam nobis ſcriptam reliquit in libello contra Tryphonem, his verbis. ἔστι γὰρ τῷ ὄντι φιλοσοφία μέγιστον κτῆμα, καὶ τιμιώτατον θεῷ, ᾧ τε προσάγει, καὶ συνίστησιν ἡμᾶς μόνη, καὶ ὅσιοι ὡς ἀληθῶς οὗτοί εἰσιν οἱ φιλοσοφίᾳ τὸν νοῦν προσεσχηκότες. *Verè, inquit, Philoſophia eſt maximum bonum, maximáque poſſeſſio, & apud Deum valdè honorabilis; ita vt ſola ad eum nos ducat, & ſiſtat; ſanctique ſunt reuerà illi qui mentem ad Philoſophiam applicant. Ex quo planè efficitur, nos, in opere Philoſophico, neque languidè, neque perfunctoriè debere verſari; ſed omnem induſtriam eſſe acuendam, omnes animi vires exuſcitandas, vt hoc tantum bonum, támque eximium inflammato ſtudio conſectemur, quod poſſeſſores ſuos & Deo ſiſtit, & beatos ac fælices reddit. Ad illud comparandum plurimùm iuuabit ſedula huius hortuli cultura, ſine qua vix ei quiſquam poterit, vel extrema labra admouere. Sunt autem, vt benè ſapientérque ſummus Philoſophiæ præceptor Ariſtoteles, olim ſuos diſcipulos admonuit, tria ad colendum hortulum Philoſophicum neceſſaria;* φύσις, μά-

θησις, ἄσκησις. *id eſt, natura, diſciplina, & exercitatio: natura quidem, quia niſi probè natura ſit affectus animus, qui Philoſophiæ ager eſt; ſed contra ſit hebes ingenium, iudicium immaturum, fallax memoria, vix ac ne vix quidem, ſapientiæ ſemina poterit excipere. Vt enim è quouis ligno non fit Mercurius: ſic nec è quouis homine Philoſophus: Afferendum ergo ingenium acre & ſubtile, maturum iudicium, facilis & tenax memoria, quæ quò plus excelluerint, eò celeriùs florebit in ſtudioſorum animis Philoſophia; præſertim ſi labor accedat, quo alioquin geminato tarditas ingenij compenſabitur. Diſciplina verò, quia plurimùm valet educatio, rectáque inſtitutio; vnde ſi deſint idonei præceptores, ſi contemnatur methodus, ſi abeſt* τρόπος ἐπιστήμης, *non facilè inſerentur animis, nec, ſi inſerantur, cohærere poterunt, documenta ſolidæ Philoſophiæ, quæ tota methodus eſt, & ſcientiarum, artiúmque ordo pulcherrimus. Denique exercitatio, quia fabricando fabri ſimus; & ſi in Theoretica Philoſophia frequens contemplatio, ac diſputatio negligitur; ſi in practica vſus præceptorum, cætera nihil valebunt. His igitur inſtructus, fœliciter colet hortulum, & vberes fructus ex eo percipiet.*

Faciemus autem in hortulo noſtro veſtibulum imprimis, deinde quatuor ambulacra, quæ quatuor areas aptè diſterminabunt, ipſas verò areas partiemur in areolas, & puluinos, quæ ſuis interuallis diſtinguentur.

Primam aream rationalem appellabimus; in qua deſcribemus omnia Logices elementa.

Secundam vocabimus moralem; in qua recenſebimus vniuerſa Ethices principia.

Tertiam aream dicemus Phyſiologicam; quæ complectetur omnia Phyſica, Aſtronomica, Elementaria, & Animaſtica.

Quartam verò appellare licebit Theologicam; in qua primæ Philoſophiæ, ſeu Theologiæ naturalis ſemina conſeremus.

Digitized by Google

VESTIBVLVM HORTVLI.

De nomine, definitione, origine, & diuiſione Philoſophiæ.

INGREDIMVR Hortuli noſtri veſtibulum, vbi primùm occurrit nomenclatura ipſius Philoſophiæ, quæ, ab amore ſapientiæ, ſic appellata eſt; quoniam, ſi vim nominis ſpectes, dicitur φιλία τῆς σοφίας; quaſi Philoſophia ſit amor, ſtudium, & quæſitio ſapientiæ; non quòd Philoſophia ſit tantùm amor quidam, aut deſiderium ſapientiæ; (hoc enim modo omnes eſſent Philoſophi:) ſed ita denominatur ex affectione quadam conſequente cognitionem rerum, quæ ſapientem efficiunt. Huius autem nominis author primus fuiſſe perhibetur Pythagoras, qui interrogatus, in qua arte vel ſcientia ſapiens eſſet, modeſtiæ causâ reſpondit, ſe non eſſe σοφὸν, id eſt, ſapientem, ſed φιλόσοφον, id eſt, amicum ſapientiæ, quod nempe exiſtimaret, ſapientis nomen, ſoli Deo conuenire, homines verò potiùs

dicendos eſſe φιλόσοφοι, id eſt, ſtudioſos ſapientiæ. Cui videtur aſſentiri Ariſtoteles, cùm 1. Metaph. c. 2. ait ſapientiam potiùs eſſe diuinam, quàm humanam. Cæterùm ſicut iuſtitia bifariam ſumitur, interdum pro virtute particulari, quâ inclinatur voluntas ad reddendum vnicuique quod ſuum eſt: interdum verò pro virtute generali, vel, vt alij volunt, pro virtutum omnium aggregatione; vt docet Ariſtoteles lib. 5. Ethic. cap. 1. ſic Philoſophia, vel ſapientia, ſolet aliquando ſumi, pro ſpeciali ſcientia, quæ res ſuas probat per altiſſimas cauſas, & generaliſſima principia, nempe Metaphyſica, vt ab Ariſtotele vſurpatur 1. Metaph. cap. 2. & lib. 4 cap. 2. nonnunquam verò pro aggregatione omnium ſcientiarum architectonicarum, id eſt, principum & præcipuarum: in qua acceptione ſumitur ab Ariſtotele 1. Top. cap. 2. & lib. 8. cap. 1. vbi Philoſophum à Dialectico, ſeu Topico diſtinguit, quòd ille propoſitam habeat veritatis cognitionem & ſcientiam: hìc autem dubitationem & probabilitatem. & lib. 6. Metaph. cap. 1. & 11. cap. 6. vbi diuidit Philoſophiam in varias partes.

Secundum quod in ingreſſu huius veſtibuli nobis occurrit, ſunt variæ definitiones Philoſophiæ, per quas eius natura declaratur. quarum prima petitur ex fine proximo, & traditur ab Ariſtotele 2. Met. cap. 1. text. 3. his verbis: ὀρθῶς δ' ἔχει καὶ τὸ καλεῖσθαι τὴν φιλοσοφίαν ἐπιστήμην τῆς ἀληθείας θεωρητικήν. id eſt, rectè autem & illud ſe habet appellare Philoſophiam ſcientiam veritatis contemplatricem. quæ definitio conuenit ſoli parti Philoſophię contemplantis: non quòd ſola contemplans verſetur

in cognitione veritatis (nam & practica propoſitam etiam habet eandem veritatis cognitionem,) ſed quia, vt ait Alexander, contemplantis finis, eſt ſola veritatis cognitio in qua conquieſcit; practica verò hanc cognitionem refert ad opus, vel actionem.

Secundò definitur Philoſophia à fine remoto, idque præſtat Plato duobus modis; nam in Theæteto, dicitur, aſſimilatio ad Deum, quoad fieri poteſt; quia per Philoſophiam homines fiũt ſimiles Deo, non in natura quidem, ſed in operationibus duntaxat. quæ vt meliùs intelligas, obſeruandum eſt, in Deo tria eſſe operationum genera. Prima eſt contemplatio, tùm ſui ipſius, tùm rerum omnium in ſeipſo, quâ eſt fœliciſſimus. Secunda eſt gubernatio totius vniuerſi, quâ res ſingulas ad ſuos fines dirigit. Tertia eſt concurſus, quo, videlicet, concurrit in agendo cum rebus à ſe creatis; vt cum igne ad comburendum; cùm igitur Philoſophia hæc tria præſtet in homine, hominem Deo ſimilem efficiet, id autem præſtat eum à triplici imperfectione & ignorantia purgando. Prima quæ contingit in ſpeculatione, tollitur per Theoreticam partem, putà, Logicam, Phyſicam, Mathematicas, & Metaphyſicam. Secunda, in affectuum moderatione, tollitur per Moralem, quæ dirigit hominem ad finem ſuum conſequendum. Tertia in efficiendis operibus, tollitur per varias artes.

In Phœdone autem ſic. Philoſophia eſt mortis meditatio. ad cuius definitionis explicationem; aduertendum eſt, vitam animalis, ac proinde etiam hominis, conſiſtere in vnione animæ cum corpore, & in operationibus animæ ſic coniunctæ: mortem

verò (quæ nihil aliud eſt, quàm priuatio vitæ) eſſe ſeparationem eiuſdem animæ à corpore. Poteſt autem anima duobus modis coniungi cum corpore; vna eſt coniunctio naturalis, quâ, ſecundùm vnionem realem, anima informat corpus, & homo conſtans his duabus partibus vnitis, exercet actiones naturales animæ, vegetando, ſentiendo, mouendo, & intelligendo ea quæ ſunt rationi conſentanea; & hæc vita vocatur naturalis. Altera coniunctio animæ cum corpore, dici poteſt libera, & ſpontanea, quâ animus obtemperat & adhæret immoderatis & belluinis cupiditatibus: ſic etiam, duplex eſt animæ à corpore ſeparatio, ſiue, duplex mors; vna quâ animus re ipſâ ſeparatur à corpore, ſiue id fiat modo naturali, vt quando moriuntur ſenes, ſiue violento, vt quando quis in aquis ſuffocatur: altera, quâ ſeparatur ab illecebris, & cupiditatibus corporis; quâ diſtinctione poſitâ, dicendum eſt, Philoſophiam non eſſe meditationem mortis, priori modo; quia cùm Dei iuſſu & prouidentiâ coniunctus ſit animus cum corpore, non debet illius iniuſſu ſeparari; vt docet Plato loco citato. & Cicer. Tuſcul. 5. & in ſomno Scip. ſed poſteriori modo, quando, ſcilicet, per contemplationem abducimus animum à cupiditatibus; atque hâc definitionem ſic explicat Cicer. Tuſc. 1. & Alcinous de doctrina Platonis, cap. 1. Philoſophia, inquit, eſt auulſio animi à corpore, cùm ad intelligibilia, & ad ea quæ verè ſunt, conuertitur. Ad hanc definitionem, hoc ſenſu ſumptam, alludere videtur Albertus magnus lib. 1. de animalibus tract. 2. cap. 2. Philoſophia, inquit, nihil aliud eſt, quàm victoria, & abſtinentia concupiſcibilium.

Tertia definitio ſumitur ex materia : Philoſophia eſt rerum diuinarum, humanarúmque cognitio. Vbi nomine rerum diuinarum intelligere debes, res à materia ſeparatas, cuiuſmodi ſunt, Deus, intelligentiæ : nomine verò rerum humanarum, res corporeas, ſiue illæ ſempiternæ ſint, vt cœli, ſiue interitui obnoxiæ, vt homo. Hanc definitionem traditam eſſe à Stoïcis teſtatur Plutarchus lib. 1. de placitis Philoſophorum cap. 1.

Quod ſpectat ad originem & progreſſionem Philoſophiæ, Ariſtoteles tribuit inuentionem Philoſophiæ Græcis, & præcipuè Thaleti, cùm tamen grauiſſimi & antiquiſſimi Hiſtoriographi teſtentur, Græcos ab Hebręis, & Chaldęis, Philoſophiam didiciſſe, Ita Diogenes Laërt, lib. 8. Ioſephus lib. 1. contra Appionem, Beroſus, & alij. Itaque prima origo vniuerſæ Philoſophiæ ad Deum Optim. Maxim. referenda eſt; qui primo parenti Adamo eam infudit; vt conſtat ex ſacris ſcripturis: nam Geneſis 2. legimus Adamum impoſuiſſe nomina omnibus animantibus; quod præſtare non potuiſſet, niſi eorum naturas perſpectas habuiſſet; cùm nomina rerum naturis conuenientia imponi debeant, vt ait Plato in Cratillo. Sic Eccleſiaſticus cap. 17. loquens de prima hominis formatione, ait: cor dedit illis excogitandi: & diſciplina intellectus repleuit illos: creauit illis ſcientiam ſpiritus, ſenſu impleuit cor illorum, & mala & bona oſtendit illis. Id etiam confirmat Diuus Thomas 1. parte quæſt. 94. art. 3. quia ſicut homo conditus eſt, corpore ad genus humanum propagandum idoneo; ſic conueniens fuit eundem creari animo, ſapientia & cognitione inſtructo, ad idem regen-

dum. Iſta autem cognitio rerum omnium ab Adamo ad poſteros per traditionem tranſmiſſa eſt: quod non fuit difficile, propter diuturnam primorum hominum vitam, qui cum Adamo verſati ſunt: & licet omnes primæ ætatis Patriarchæ, (excepto Noëmo) Adamum viderint, tamen per tres ſolos Adamum, Mathuſalem & Noëmum potuit continuari, & propagari rerum diuinarum humanarúmque cognitio, fides, religio, & hiſtoria ab Adamo ad Abrahamum: vt oſtendit Genebrardus in ſua chronographia. Ab Abrahamo porrò acceperunt, tum Chaldæi, tum Hebræi: ab his Ægyptij, à quibus Phœnices, & ab his Græci, tandémque Romani, tanquam per manus acceperunt. Cæterùm quod ſpectat ad Philoſophiæ progreſſionem & renouationem, variáſque ſectas Philoſophorum in diuerſis regionibus & temporibus ortas; habes apud Benedictum Pererium lib. 4. de communibus rerum naturalium principiis.

Iam de partibus Philoſophiæ nobis agendum eſt. Stoïci ex Laërtio lib. 9. in Zenone, eam diſtribuerunt in tres partes: Dialecticam, Ethicam, & Phyſicam. Epicurus ex eodem Laërtio lib. 10. eam partitus eſt in Ethicam, Phyſicam, & Canonicam; per quam intelligit Dialecticam, quæ conſtat regulis & pręceptis diſſerẽdi. Peripathetici verò in Theoreticam, ſeu contemplatiuam, & practicam: ita Ariſtoteles 2. Metaph. cap. 1. & alibi. Theoretica dicitur, quæ in ſola veri cognitione conſiſtit, nec per ſe refertur ad aliquam actionem, ſeu opus. Sic enim Ariſtoteles 3. de anima cap. 9. text. 46. ait, intellectum theoreticũ nihil mouere, quoniam non intelligit ea quæ poſſunt cadere ſub

appetitum & actionem noſtram. Sicque principia noſtrarum actionum & motuum, ſunt appetitus, & intellectus practicus. Vnde practica ſcientia dicitur, quæ res, circa quas verſatur, non ſolùm docet nos ſcire, ſed præcipuè operari & facere: ex quo ſequitur, finem theoreticæ ſcientiæ eſſe veri cognitionem: practicæ autem, actionem & opus: vt docet Ariſtoteles 2. Met. c. 1. θεωρητικῆς μὲν γὰρ τέλος ἀλήθεια, πρακτικῆς δ' ἔργον.

Theoretica eſt triplex: Phyſica, quæ res naturales: Mathematica, quæ numeros & magnitudines: Metaphyſica, quæ res diuinas & immateriales contemplatur.

Practica, eſt duplex; actiua, quæ verſatur circa actiones immanentes voluntatis, quæ propriè dicuntur praxes: effectrix, quæ verſatur circa actiones tranſeuntes, quibus efficitur aliquod opus. Actiua eſt triplex; monaſtica, quæ hominis priuati vitam, moreſque regit: œconomica, quæ familiam: politica, quæ rempub. Effectrix, eſt etiam triplex: ſermonis, ſiue locutionis externæ, vt Grammatica, Rhetorica: effectionis, vt ſaltatrix, cythariſtica: operis, vt architectura, ſtatuaria.

AMBVLACRVM I.

Logicæ nomina, orationes, partes, diuiſio, definitio.

INGRESSI hortuli veſtibulum in primum ambulacrũ deſcendimus, vt illud ducamus ad libellam primæ areæ. Ordiendum igitur

à nominibus quibus ipſa area poteſt appellari. Sunt autem in duplici differẽtia; quædam periphraſtica, quædam ſimplicia: periphraſtica ſunt, vel tropica, ſiue figurata, vt cùm Logica dicitur oculus mentis, rationis cynoſura, manus Philoſophiæ, ianua ſciẽtiarum, Pegaſi vngula, Silenus Alcibiadis, Philoſophiæ ſepes, murus, teſta: vel non ſunt tropica, vt cùm nominatur ars artium, ſcientia ſciẽtiarum, modus, vel magiſtra diſſerendi, inſtrumentum inſtrumentorum. Simplicia verò ſunt, vel Latina, vt diſceptatrix, diſſectrix: vel Græca, vt Logica, Dialectica, organum, canonica. Communiora tamen & magis propria, quæque naturam ipſius liquidiùs exprimunt, ſunt Logica, & Dialectica.

Porrò Logicæ nomen, citra controuerſiam, deductum eſt ἀπὸ τοῦ λόγου; λόγος verò apud multos authores 5. præcipuas ſignificationes habet: prima pro argumento, ſeu probatione, vt 3. Phyſicorum cap. 8. textu 73. reſtat accedere ad eas probationes, quibus infinitum eſſe videtur: illic enim Græca habent καθ' οὓς λόγους. Secunda, pro ratione, ſeu facultate ratiocinandi, vt paſſim Ariſtoteles in libris de anima. Tertia, pro ſermone, ſeu oratione, vt lib. de interpretatione cap. 4. vbi oratio, quam Ariſtoteles ait eſſe vocem ſignificantem ex inſtituto λόγος vocatur: vnde Logica, facultas ſermocinatrix appellari conſueuit. Quarta, pro ratiocinatione, ſeu diſcurſu & argumentatione, vt 1. Top. cap. 12. vbi enim Latinè legitur, quot ſunt genera argumentationum Dialecticarum: textus Græcus habet, πόσα τῶν λόγων εἴδη τῶν διαλεκτικῶν. & lib. 1. de priori analyſi cap. 1. definiens ſyllogiſmum, ait eum eſſe λόγον, id eſt, argumentationem,

ex qua acceptione, Logica, dicta eſt ratiocinandi & argumentandi ſcientia. Quinta pro definitione; vt colligitur ex definitionibus ſynonymorum, & homonymorum, quas tradit Ariſtoteles in antepræ-dicamentis: hinc Logica definiendi ſcientia dici poteſt; quia definitio, ſecundùm quoſdam, præſtat cæteris Logicæ inſtrumentis: ex quibus omnibus facile eſt intelligere, Logicæ nomen, non vnam tantùm partem, ſed vniuerſam diſſerendi ſcientiam ſignificare: quæ acceptio, iam communiter in ſcholis vſurpatur: aduertendum tamen obiter apud Ariſtotelem in his quæ extant eius libris, non legi nomen Logicæ, pro aliqua arte, nec eo vſquam ſubſtantiuè vſum fuiſſe; ſed tantùm adiectiuè, & aduerbialiter, vt 1. de demonſtratione cap. 18. & cap. 25. θεωρεῖν λογικῶς, conſiderare Logicè: ſic λόγικα προβλήματα, id eſt, Logicas rationes; quæ ſæpè repetit. Dialectica verò dicitur, ἀπὸ τοῦ διαλέγεσθαι, quod eſt diſſerere: licet non ſit eadem apud omnes authores huius nominis acceptio. Nam Plato interdum ſumit pro arte, quæ verſatur circa rationem cum oratione cõiunctam, quæque diſtribuitur in facultatem diuidendi, definiendi, inducendi, & ratiocinandi. Sic Alcinous de doctrina Platonis cap. 3. & 5. interdum verò pro Metaphyſica, ſic enim habet 7. de repub. an non Dialecticum vocas eum qui rationem cuiuſlibet capit eſſentiæ. In Alcibiade, pro ratione vti. Stoïci verò, vt Cicero author eſt initio Topicorum, vſurparunt Dialecticæ nomen, pro ea parte, quam Græci vocant κριτικὴν, ſeu ἀναλυτικὴν, id eſt, iudiciariam & reſolutoriam. Ariſtoteles verò, ſecundùm Carpentarium in caput 3. Alcinoi de do-

ctrina Platonis, vſurpauit tantùm nomen Dialecticæ pro parte topica, ſeu pro ea parte facultatis diſſerendi, quæ probabilibus argumētis in vtramque partem diſputat de re qualibet propoſita: quæ ſententia, licet ſit probabilis, probabilior tamen videtur eorum, qui aſſerunt, nomen Dialecticæ, apud Ariſtotelem, non ſolùm reperiri pro parte Topica, ſed etiam pro tota facultate quæ comprehendit analyticam, & topicam: quia διαλέγεσθαι, vnde deducitur nomen Dialecticæ, ſumitur apud Ariſtotelem, pro tota facultate, vt patet cap. 2. lib. Elenchorum, & 1. Rhetoricorum ad Theodecten cap. 1. vbi docet Dialecticam de quolibet ſyllogiſmo agere, non tantùm Topico, ſed etiam Analytico: ex quo ſequitur ipſum Dialecticæ nomen, pro tota diſſerendi facultate, apud Ariſtotelem, reperiri.

Diſſerere autem, eſt ignotum ex notis manifeſtare, quod fit orationibus Logicis; definitione, ſcilicet, diuiſione, argumentatione, & methodo; quæ ſunt formulæ diſſerendi, in quibus maximè Dialectica occupatur: omnes enim libri Logici ad eas referuntur: vt Iſagoge Porphyrij, quæ eſt de quinque vniuerſalibus: Genere, Specie, Differentiâ, Proprio, & Accidente, quorum vſus eſt in definiendo, diuidendo, argumentando, ordinando. Liber Categoriarum, ſumma rerum genera, eorúmque ſeriem explicat: quæ faciunt ad diſſerendum, cùm ſuppeditent terminos ſimplices, de quibus ſermo eſſe poteſt, & oratio, ſeu propoſitio fieri. Liber de interpretatione, qui de propoſitionibus eſt, è quibus texuntur argumentationes, & ſyllogiſmi omnes. Libri duo Analyticorum prio-

rum, qui communem materiam, & formam ſyllogiſticam tradunt. Duo poſteriorum, qui de ſyllogiſmo perfectiſſimo, nimirum demonſtratione agunt. Octo Topicorum, qui communes locos diſſerendi de omnibus probabiliter explicant. Vnus Elenchorum, qui ſophiſmata, & captiones ſyllogiſmorum diſſoluit.

Et cùm tota Logica tres mentis actiones dirigat: primam quidem, quæ eſt ſimplex intellectio, intuitus & apprehenſio rei, inſtruunt Iſagoge Porphyriana, & categoriæ, quæ ſunt de terminis ſimplicibus: ſecundam, quæ eſt iudicium, ſiue affirmatio, & negatio; liber de interpretatione: tertiam, quæ eſt diſcurſus, ſiue argumentatio, reliqui libri.

Duplex eſt Logica; naturalis, quæ à natura, & artificioſa, quæ ab arte proficiſcitur. Illa, eſt vis quædam hominum animis inſita, quâ quiuis poteſt naturali quadam ingenij bonitate, ſine vllo præceptorum adminiculo diſputare, definire, & diuidere: éſtque ea vis eadem omnino cum ratione. Hæc verò, nempe artificioſa, eſt cognitio quædam, & collectio multorum præceptorum, quæ docent modum benè & ſine errore diſſerendi; vel ſecundùm Alexandrum Aphrodiſeum in 1. Topicorum, eſt vis, & ratio, de omni re propoſita probabiliter diſſerendi.

Eſt autem Logica, ſcientia propriè dicta, eáque Theoretica, & proinde pars Philoſophiæ, quæ verſatur circa ens rationis, ſeu ſecundas intentiones, quæ ſunt propriè ſubiectum Logices.

Area prima, quæ rationalis.

Hanc aream rationalem appellamus, quoniam in ea deponere volumus, omnia Logices ſemina; eſt enim Logica facultas, vel ſcientia rationalis, quâ, certi cuiuſdam gnomonis inſtar, mentis noſtræ actiones componimus: vel vt aliis placet, cuius obiectum ſunt entia rationis: vel quæ circa rationem verſatur.

INTERVALLVM I.

Quid terminus, quotuplex, acceptiones variæ termini.

PROXIMVM eſt vt quidnam ſit terminus, & quomodo diſtribuatur, explicemus. Ariſtoteles 4. Met. cap. 17. his verbis terminum definit. πέρας λέγεται τὸ ἔσχατον ἑκάστου. Terminus dicitur vniuſcuiuſque vltimum. Idem penè ſentit Euclides in Elementis Geometricis, vbi ſic habet, ὅρος ἐστι, ὅ τινός ἐστι πέρας. Terminus eſt, qui alicuius eſt extremum: ſed quoniam terminus in hoc generali ſignificatu ſumptus, diffundi poteſt ad quoſque terminos, etiam alienos à noſtro inſtituto, ideò partiemur illum in terminum rei, & terminum propoſitionis. Terminus rei, eſt cuiuſlibet rei finis, ac vltimum, vt finis ſiue extremum digituli, dicitur terminus eiuſdem; quo ſenſu docet Ariſtoteles loco citato 5. Metaph. terminum 4. modis vſurpari. Primò, pro fine magnitudinis, in qualibet eius ſpecie, vel pro fine rei habentis magnitudinem; vt punctus dicitur terminus lineæ,

linea ſuperficiei, ſuperficies corporis, vel etiam lapidis habentis quantitatem. Secundò, pro termino ad quem, & non à quo, motus, vel actionis: vt terminus generationis, eſt eſſe, non autem non eſſe; licet quandoque ambo extrema motus, ſcilicet à quo, & ad quem, dicantur termini, largo modo, ſicut dicimus omnem motum eſſe inter duos terminos. Tertiò, pro cauſa finali, cuius gratiâ fit aliquid, hoc enim eſt vltimum intentionis. Quartò, pro eſſẽtia, ſiue quidditate rei, quatenus quidditatiuâ definitione explicatur. Definitio enim apud Ariſtotelem vocatur terminus, quia in ſe claudit & terminat totam rei definitæ eſſentiam, dicitúrque terminus cognitionis. Terminus propoſitionis, ab Ariſtotele ſic definitur lib. 1. priorum Analytic. cap. 1. ὅρον δὲ καλῶ εἰς ὃν διαλύεται ἡ πρότασις. Terminum autem appello, in quem diſſoluitur propoſitio, vt ſunt ſubiectum, & attributum, ſiue prædicatum: vnde patet terminum, in ampla ſua ſignificatione, æquè latè patere, apud Dialecticos, ac dictionem, apud Grammaticos; ſic enim comprehendit omnem partem orationis, ſiue declinabilem, ſiue indeclinabilẽ: quâ ratione definiri poteſt. Terminus propoſitionis eſt id quod proximè enũciationem componit, ſiue illud ſit ſubiectum, ſiue attributũ, ſiue copula, vel verbũ, eſt, vt in hac propoſitione; homo eſt animal; à qua definitione, non lõgè abeſt ea, quam tradit Boëtius initio Topic. vbi terminos vocat nomina & verba, quibus nectitur propoſitio ſimplex: licet aliquando preſſiùs, & magis propriè ſumatur terminus propoſitionis, pro ſolis ſubiecto & attributo, vt in ſupra poſita definitione termini propoſitionis ab Ariſtotele tradita.

PVLVINVS TERMINALIS.
De terminis Dialecticis.

Monet Ariſtoteles lib. Elenc. cap. 1. eos,qui terminorum ſignificationes ignorant,facilè decipi paralogiſmis in diſputationibus ; ſic enim habet. *οἱ τῶν ὀνομάτων τῆς δυνάμεως ἄπειροι παραλογίζονται, καὶ αὐτοὶ διαλεγόμενοι, καὶ ἄλλων ἀκούοντες*, id eſt, qui nominum poteſtatis ſunt imperiti, paralogiſmis decipiuntur, & cùm ipſi diſputant, & cùm alios audiunt : quare operæ pretium erit ſelectiora terminorum, quibus Dialectici vtuntur, ſemina, in hoc puluino conſerere.

Sunt igitur tres præcipuæ terminorum diuiſiones, quarum prima petitur ex parte materialis,ſeu ſubiecti; aliæ duæ, ex parte formalis, ſiue ſignificationis. Terminus, ex parte ſubiecti, diuiditur in mentalem, vocalem, & ſcriptum. Mentalis terminus, eſt cognitio reſpondens termino vocali. Quemadmodum enim vox, arbor, eſt vnus terminus, huius propoſitionis, arbor eſt corpus ; ſic cognitio in intellectu, quâ cognoſco talem rem, vel rem per ipſam vocem ſignificatam, vocatur terminus mentalis; ſicut eodem modo iſta ſcriptura, arbor, illi voci ſubordinata, dicitur terminus ſcriptus; & mentalis quidem, diſtinguitur à vocali & ſcripto, quod vocalis, & ſcriptus ſignificent tantùm ad placitum: mentalis autem, naturaliter ſignificet res quas ſignificat.

Mentalis conceptus, eſt duplex, quidam non vltimatus, vel, vt aliis placet, medius ; alter vltimatus, vel vltimus. Non vltimatus, eſt cognitio, quâ voces vel ſcripturas ſignificatiuas cognoſci-

ſius. Vltimatus verò eſt cognitio, vel conceptus, quo res, per huiuſmodi voces, vel ſcripturas ſignificatas, cognoſcimus; vt cùm aliquis audit hanc propoſitionem, arbor eſt corpus, vel eam legit, prius habet ſingulares cognitiones vocum, ſeu ſcripturarum, quæ cognitiones dicuntur conceptus non vltimati: poſterius rerum ſignificatarum cognitiones habet, quæ vocantur conceptus vltimati: quia ſcilicet, cùm in voce duo ſint cognoſcenda, vnum quaſi materiale, nempe ipſa vox, vt arbor; alterum quaſi formale, nempe ſignificatio illius vocis; per conceptum vltimatum vtrumque cognoſcimus. Hinc qui ſunt ignari ſignificationis vocabulorum habens ſolùm conceptus non vltimatos. Fundamentum autem, & cauſa efficiens iſtius ſignificationis, eſt impoſitio, & συνθήκη, ſeu inſtitutio, vt vocat Ariſtoteles, lib. de interpret. cap. 2.

Rursùm conceptus vltimatus, eſt duplex, directus, & reflexus; ille vocatur, per quem cognoſcimus res ipſas ſignificatas per voces, aut ſcripturas: hic verò, eſt cognitio, quâ priores conceptus noſtros cognoſcimus; quando, ſcilicet, cognoſcimus nos cognoſcere. Itaque conceptus directus, eſt cognitio rei ſecundùm ſe: reflexus autem, eſt cognitio cognitionis, vel cognitio rei, prout ei aduenit aliquid per intellectum, vt eſſe cognitum, eſſe genus, eſſe ſpeciem.

Vocalis terminus diuiditur etiam multis modis, alius enim eſt ſignificatiuus, qui ſcilicet ad rem aliquam manifeſtandam eſt impoſitus; vt homo, animal, alius non ſignificatiuus, qui, ſcilicet, cùm nullam rem ſignificet, pro ſe in propoſitione ſup-

ponitur ; vt doc eſt vox, blitri eſt ſonus.

Vt autem id meliùs intelligatur, notandum eſt ex D. Auguſtino lib. 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 1. ſignum nihil aliud eſſe, quàm id quod præter ſui ſpeciem & cognitionem, quam ingerit ſenſibus, facit aliud in cognitionem venire. ſiue quod idem eſt; ſignum vocatur, id; quod præter ſui cognitionem, deducit nos in cognitionem alterius; vt ſonus campanæ horâ ſextâ matutinâ, præter ſui cognitionem, indicat proximum Primæ officium. Vnde ſignificare apud Dialecticos, eſt facultati cognoſcenti aliquid repræſentare. Sicque id quod repræſentat, eſt ſignum rei quæ repræſentatur. Sunt autem ſigna vel φύσει, vel θέσει, ſeu φυσικὰ, quæ per naturam ſignificant: vt fumus, & θετικὰ, quæ ex inſtituto: vt hedera in foribus appenſa. Vnde ſignificatiuus terminus diuiditur in terminum ſignificantem natura, qui, ſcilicet, præter ſeipſum, repræſentat intellectui rem eandem apud omnes omnium nationum gentes, ſecluſâ hominum voluntate: vt fumus, eſt ſignum naturale ignis; veſtigium, ſignum naturale animalis, gemitus & ſuſpiria, doloris, & in terminum ſignificantem ex hominum arbitratu; quique dicitur ſignum voluntarium ad placitum, vel ex inſtituto, qui, ſcilicet, ex ſe non inducit in cognitionem alterius, ſed ſolùm, quia homines, vel alia cauſa extrinſeca id conſtituit alterius rei ſignum: vt ſonitus campanæ, ſignum eſt ad placitum, ad orationem, ad lectionem, & prandium, diuerſis temporibus. Ramus appenſus præ foribus œnopolij, ſignum vini vendibilis: ſic voces quibus loquimur, ſunt ſigna ad placitum; ideóque variæ ſunt, pro varie-

tate idiomatum; vt apud Latinos, quod dicitur homo, apud Græcos, dicitur ἄνθρωπος.

Cæterùm quia terminus vocalis ſignificatiuus, diuiditur variè ratione ſuæ ſignificationis & terminus ſcriptus, eodem modo diuiditur, quo vocalis, nihil aliud de illis dicemus.

Quod igitur attinet ad ſecundam generalem terminorum diuiſionem; terminus ex parte ſignificationis, bifariam diuiditur primò ex parte rei ſignificatæ, ſecundò ex parte modi ſignificandi. Ex priore petitur ſecunda generalis terminorum diuiſio: ex poſteriore tertia. Ex parte ergo rei ſignificatæ, diuiditur terminus in vniuerſalem & ſingularem; collectiuum & diſiunctiuum; tranſcendentem, & ſupertranſcendentem; vniuocum, æquiuocum, & analogum; poſitiuum, & negatiuum; primæ intentionis, & ſecundæ intentionis.

Terminus vniuerſalis, vel communis, eſt qui ſignificat rem vnam, ſecundùm idem nomen, & ſecundùm eandem rationem multis rebus inferioribus conuenientem, actu; vt homo: vel poteſtate, vt ſol. neque enim repugnat per infinitam Dei poteſtatem plures eſſe Soles, cùm ipſa natura ſpeciei quantum eſt de ſe, ſit nata eſſe in pluribus. Vnde hac definitione, excluditur Deus; quia fieri non poteſt, vt ſint plures dij.

Terminus ſingularis, eſt, qui ſignificat rem vnam, vel multas, prout vnum efficiunt, etſi quidem ſignificet rem vnam, vel eam determinatè ſignificat; vt hæc vox, Ioannes: vel demonſtratiuè; vt hic homo: vel ex ſuppoſitione, vt ſacratiſſimæ Virginis Mariæ filius: ſi verò plura ſignificet, vt ſunt vnum coniunctim, dicetur terminus col-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

lectiuus, vt reſp. ciuitas, populus; vel ſi plura ſignificet diuiſim, vt Petrus, vel Paulus, dicetur diſiunctiuus. Terminus tranſcendens, ſignificat omnia, quæ illimitatam habent ſignificationem, & quæ in omnibus rebus reperiuntur; ſuntque ſex numero, nempe, ens, vnum, verum, bonum, res, aliquid: ſupertranſcendens, eſt qui res etiam non veras ſignificat; vt imaginabile, cognoſcibile.

Terminus vniuocus, ſeu ſynonymus eſt, qui denotat res multas, idem nomen, & eandem rationem, per illud nomen ſignificatam, participantes; vt homo, reſpectu Petri & Pauli. Æquiuocus, vel homonymus terminus, eſt nomen ſignificans multa, ſolo nomine conuenientia, & differentia ratione, ſeu naturâ per nomen ſignificata; vt nomen, Caius, Taurus. Notand. eſt autem æquiuoca, aliâ ratione poſſe eſſe ſynonyma; ſi nimirùm conferantur in aliqua ratione quam æqualiter participent; vt canis domeſticus, & canis marinus, & canis cœleſte ſydus, licet in ratione canis æquiuocè conueniant: tamen in ratione corporis ſunt vniuoca. Analogus terminus, eſt nomen conueniens multis rebus participantibus idem nomen, & rationem, illo nomine ſignificatam, partim eandem, partim diuerſam; vt ſanum, quod primò ſignificat animal, cui formaliter conuenit ſanitas: deinde potionem, ambulationem, vrinam, quatenus hæc omnia participant rationẽ ſanitatis, licet non eodem modo; animal enim intrinſecùs & formaliter dicitur ſanum, quia habet in ſe ſanitatem; reliqua verò, tanquam cauſa efficiens, vel ſignum ſanitatis, quæ eſt in animali. Vnde patet in huiuſmodi analogis eſſe plura ſignificata, quorum

vnum, eſt primarium, ſeu principale, vt animal, cætera verò minus principalia, quæ ad magis principale reuocantur: ſic Nero dicitur de Nerone Imperatore, & de homine crudeli.

Terminus poſitiuus, eſt, qui ſignificat rem aliquam veram, & non fictam; vt homo, animal. Negatiuus verò, qui negationem ſignificat; vt non homo, non animal: at ſi illa negatio, quæ nomine negatiuo ſignificatur, ſit in ſubiecto aptonato ad recipiendam formam contrariam, dicitur priuatio, ſeu terminus priuatiuus; vt cæcitas, quæ ſignificat negationem, vel carentiam facultatis videndi in oculo qui eſt ipſius capax: ſi verò illa negatio, non ſit in ſubiecto aptonato, dicetur terminus ille negatiuus, vel infinitus; vt non videns.

Terminus primæ intentionis, ſeu primæ impoſitionis, eſt, qui ſignificat rem, vt eſt in ſe, vt homo, animal, arbor. Terminus ſecundæ intentionis eſt, qui ſignificat ſecundas intentiones, quæ tribuuntur rebus per actionem intellectus; vt homo, & animal quatenus conſiderantur in hac propoſitione, homo eſt animal, in qua, homo dicitur ſubiectum, & animal prædicatum.

Tertia generalis diuiſio terminorum, ſumitur ex parte modi ſignificandi, ac primò quidem, diuiditur ſic terminus in Categorematicum, & Syncategorematicum, & Mixtum.

Categorematicus, ſeu ſignificatiuus, vel prædicatiuus eſt qui aliquid per ſe ſignificat; vt homo, vnde Cicer. 4. Tuſcul. quæſt. Categoremata vocat, quæ de aliquo, aut aliquibus dicuntur, quaſi dicibilia.

Syncategorematicus, id eſt, conſignificatiuus,

eſt qui tantùm ſignificat modum rei,vel qui per ſe nihil ſignificat, tamen alteri termino Categorematico adiunctus; mutat eius ſignificationem; vt omnis,nullus. Mixtum nonnulli afferunt, vt Toletus lib. 1. ſuæ introductionis cap. 12. in quo genere vult reponi omnia aduerbia, vt doctè, ſapienter: alij tamen, vt Fonſeca lib. 1. ſuæ inſtitutionis Dialecticæ cap. 9. reuocant illa vt cæteras etiam orationis particulas ad Syncategoremata.

Categorematicus terminus ſubdiuiditur in abſtractum,concretum,abſolutum,& connotatiuum. Abſtractus terminus eſt, qui rem denotat per modum formæ ſimplicis, & aliam rem denominantis; vt humanitas à qua denominatur homo,& albedo, à qua album dicitur. Concretus, eſt, qui ſignificat per modum compoſiti, & vt ab alio denominatur, ſiue reuerà ſit compoſitum, vt homo, & album,ſiue non ſit, vt Deus, qui eſt ſimpliciſſimus,ſignificatur tamen per modum compoſiti; ſicut è contra, humanitas, ſignificat aliquid compoſitum, eſt tamen terminus abſtractus, quia ſignificat per modum ſimplicis formæ, ac ſi eſſet aliqua forma per ſe cohærens extra hominem,vel ipſa ſimpliciſſima hominis natura ab aliis omnibus ſeiuncta. Vnde abſtractum dicitur, quod ſimplicem habeat ſignificandi modum : concretum verò, quod dicat modum concretionis, & compoſitionis. Abſolutus terminus, eſt qui rem denotat per modum per ſe exiſtentis, ſiue reuerà per ſe exiſtat; vt homo, ſiue videatur per ſe exiſtere; vt albedo; hinc vocatur abſolutus,quia præter id quod ſignificat,nihil aliud notat de quo dicatur. Connotatiuus contra, eſt

qui ſignificat aliquid per modum adiacentis, aut inhærentis, ſiue reuerà inſit, & inhæreat, alteri; vt album, ſiue videatur, ſolùm inhærere; vt eſſe veſtitum. Vnde ſic appellatur, quia præter id quod præcipuè ſignificat, aliud etiam de quo dicitur, notat. Differunt autem iſta quatuor, quæ in prædictis terminis vſurpantur, ſcilicet, adiacere, per ſe ſtare, ſignificare, & connotari. Primò, quia duo priora competunt rebus ſignificatis; duo verò poſteriora, terminis ipſis ſignificantibus. Deinde quia adiacere, dicitur res illa, quæ alteri ineſt, & in alio ſuſtentatur, ſiue ſit eius pars, quomodo partes dicuntur ineſſe toti, ſiue non ſit pars, nec de eius eſſentia; vt veſtis, & accidentia propriè adiacent, & inhærent. Illud per ſe ſtat, quod alteri non adiacet, ſeu non ſuſtentatur ab alio. Significare, eſt aliquid ex impoſitione manifeſtare; vt homo hominem ſignificat. Connotare tandem, eſt manifeſtare id, quod ex impoſitione ſequitur; vt album ſignificat albedinem, prout adiacet alteri, & quia adiacet corpori, ideò dicitur connotare corpus. Porrò quia hi quatuor termini aliquam habent inter ſe ſimilitudinem; aduertendum eſt, hoc diſcrimen inter eos aſſignari, quòd licet omnes abſtracti, ſint abſoluti, non tamen è contra ſemper; homo enim eſt abſolutus terminus, non tamen abſtractus: ſic licet omnes termini connotatiui, ſint etiam concreti, quia ſignificant aliquid compoſitum, non tamen contra ſemper, quoniam ſunt aliqui termini concreti, qui ſunt etiam abſoluti, & non connotatiui; vt corpus, Deus. Denique vt cognoſcamus quæ nomina concreta, ſint abſoluta, & quæ connotatiua; ſciendum eſt,

nomen connotatiuum, concretum, & abſolutum in eo conuenire, quòd non ſolùm ſignificent formam, ſed etiam id cui aduenit forma; vt homo ſignificat humanitatem, & id cui aduenit, ſic album ſignificat albedinem, & ſubiectum cui aduenit: differunt autem inter ſe, quòd connotatiuus, primariò & præcipuè ſignificet formam, connotando ſecundariò, & minus principaliter ſubiectum: terminus autem abſolutus primariò ſignificet id cui aduenit forma, ſecundariò ipſam formam. Adiectiuus terminus minùs latè patet, quàm connotatiuus; ſubſtantiuus aliquando eſt concretus, aliquãdo abſtractus. Denominatiuus, idem eſt, quod connotatiuus; differt tamen, quatenus à priori aliquo vocabulo voce, ac ſignificatione deriuatur; vt iuſtus, à iuſtitia: quæ, à Rhetoribus, coniugata vocantur. Denominans terminus, eſt à quo fit denominatio; vt iuſtitia, à qua dicitur iuſtus. Complexus terminus, eſt qui componitur ex pluribus, vel voce tantùm, vt Marcus Tullius Cicero, quia hæc tria, vnum ſignificant; vel re tantùm, quando, ſcilicet, æquiualet voci complexæ, & ſubordinatur pluribus conceptibus, vt nemo, quod idem eſt, ac nullus homo; denique re, & voce, vt homo iuſtus. Incomplexus verò terminus, idem eſt, ac ſimplex.

Et hactenus de terminis per ſe conſideratis: ſi verò vnus cum alio conferatur, plures erunt terminorum ſpecies; alij enim vocantur pertinentes, alij impertinentes. Hi ſunt, qui ſe ita inter ſe habent, vt nec inter ſe pugnent, nec mutuò ſeſe inferant; vt album & dulce, quæ, & eidem ſimul ineſſe poſſunt, & ab eodem ſimul abeſſe. Illi verò ſunt, qui ſic ſe habent ad inuicem, vt pugnent inter ſe; vt

homo & equus; nam ſi homo eſt, igitur non eſt equus; vel vnum inferat alterum, quomodo ſe habent inferiora ad ſuperiora; vt ſi homo eſt, animal eſt; & reciproca, ſeu conuertibilia; vt ſi homo eſt, eſt riſus compos. Ad hæc iſta duo quæ in terminis pertinentibus reperiuntur, nempe, inferre ſe mutuò, & pugnare inter ſe, non in omnes ſimul cadunt; ſed qui pugnant repugnantia, qui verò inferunt ſequela, vel conſequentia à Dialecticis nuncupantur.

INTERVALLVM II.

Variæ acceptiones vniuerſalis, definitiones, proprietates.

QVONIAM definitio quæ ad primam mentis operationem attinet, conſtat ex genere & differentia, & id quod definitur propriè eſt ſpecies, de qua etiam in enunciatione prædicantur, tùm propria, tùm communia accidentia, ideò paucis agendum eſt de quinque prædicabilibus, & primùm quidem, quia vniuerſalia, ſiue communia ſunt, de ipſo vniuerſali, ſeu communi.

Vniuerſale igitur, ex vi nominis, ſignificat aliquid commune multis: vnde quot mòdis aliquid poteſt eſſe commune multis, tot erunt acceptiones vniuerſalis, & primum diſtinguitur vniuerſale, in vniuerſale complexum, & in vniuerſale incomplexum, ſeu ſimplex. Illud vocatur aliqua vniuerſalis propoſitio, cuius veritas pendet, vel falſitas,

ex veritate multorum ſingularium; vt omnis homo eſt animal: hoc verò, eſt terminus ſimplex communis multis; in qua poſteriori ſignificatione, variis item modis vſurpatur, ſúntque acceptiones eius 5. præcipuæ. Prima, quâ vniuerſale ſumitur pro eo, quod eſt cauſa multorum, quibus idcirco eſt commune, vnde vniuerſalis cauſa, vocari ſolet vniuerſale in cauſando; cuiuſmodi ſunt, Deus, cœlum, Sol & ſimilia, quæ concurrunt cum pluribus cauſis particularibus ad productionem variarum rerum. Secunda, quâ vſurpatur pro eo, quod eſt vnum quidem numero, multa tamen repræſentat, dicitúrque vniuerſale in repræſentando, qualis eſt ſpecies, vel imago oui in mente, quæ omnia ſimilia oua repræſentat; & exemplar in mente artificis, quod refert multas res eiuſdem generis, quæ arte fieri poſſunt. Tertiò ſumitur pro eo, quod multa ſignificat; qualia ſunt Grammaticis, nomina appellatiua, vt homo, leo, præſertímque homonyma; vt canis, taurus, quæ animalia terreſtria, & aquatilia, tùm etiam cœleſtes conſtellationes ſignificant; appellatúrque vniuerſale in ſignificando. Quartò ſumitur pro eo, quod in ſe eſt vnum, & tamen dat eſſe multis; quomodo Auerroës finxit intellectum vniuerſalem, quem vnicum aiebat eſſe in omnibus hominibus, dando illis eſſe intellectiuum, cùm tamen ipſe eſſet vnicus; ſic fingebat Plato Ideas vniuerſales in omnibus ſpeciebus, ex quarum participatione omnia inferiora eſſent eiuſdem naturæ; atque hoc vocatur vniuerſale in eſſendo; quomodo etiam hic mundus dicitur vniuerſum, quia continet multas entitates & perfectiones. Quintò ſumitur

pro eo, quod prædicatur de multis, vel inæqualiter; vt ens, & cætera analoga: vel æqualiter; vt ſynonyma, qualis eſt homo, qui æquè primò de ſingulis hominibus prædicatur: & hoc quidem vniuerſale, dictum eſt in prædicando, de quo poſtremò ſolùm hîc agimus: Súntque duæ illius definitiones apud Ariſtotelem, quarum prior eſt eſſentialis, & metaphyſica; poſterior accidentaria, & ad Logicam magis pertinens. Priorem tradit Ariſtoteles 7. Metaphyſic. cap. 13. & 1. poſteriorum cap. 8. vniuerſale, eſt illud, quod natura ſua aptum eſt ineſſe multis. Poſterior petitur ex cap. 5. lib. de Interpret. vniuerſale, eſt quod dicitur de multis. quæ definitio eſt accidentaria, quia traditur per proprietatem vniuerſalis, quæ eſt prædicari de multis: prius enim eſt, rem eſſe in multis, quàm de illis prædicari: vnde naſcitur ex natura vniuerſalis: ex eo enim quod res aliqua ineſt multis, ſequitur, vt de illis quibus ineſt poſſit prædicari. Ex his autem definitionibus vniuerſalis, colliguntur aliquot conditiones neceſſariæ, vt aliquid ſit vniuerſale. Prima eſt, vt ſit vnum, non quidem numero, quia hoc ſolis ſingularibus conuenit; ſed voce, conceptione, & definitione; voce quidem, id eſt, vt exprimatur vnica voce, non pluribus, quomodo complexa vniuerſalia excluduntur; quæ non dicuntur vniuerſalia ſimpliciter, ſed vniuerſalia complexa: deinde conceptione, id eſt, vt concipiatur tanquam quid vnum: tandem definitione, id eſt, vt attributum illud, quod dicitur vniuerſale, tribuat inferioribus ſuum nomen, & definitionem, ſiue hæc eſſentialis fuerit, vt animal reſpectu hominis, & bruti, ſiue accidentaria, qualis eſt defi-

nitio albi, reſpectu cygni, & niuis; cygnus enim verè dicitur albus, & corpus diſgregans viſum, quæ eſt definitio candoris, vnde patet, per hanc particulam, reiici homonyma, & tranſcendentia, illa quidem, quia non ſunt vnum conceptione, & definitione, ſed nomine tantùm: hæc verò, vt ens, vnum, verum, quia licet, vnum ſint conceptione, non ſunt tamen vnum definitione, æqualiter participata ab inferioribus, qua etiam ratione, Analoga non ſunt propriè vniuerſalia, quia non participantur ab inferioribus æqualiter: itáque ſola ſynonyma ſunt propriè vniuerſalia, quia participantur æqualiter à ſuis inferioribus. Secunda conditio eſt; vniuerſale eſſe natura aptum vt inſit multis, quæ ſic intelligi debet, vt vniuerſale non requirat re ipſa multa quibus inſit; ſed ſatis eſt, ſi aptum ſit multis ineſſe, ſiue illa ſint, ſiue non.

Obſeruandum eſt autem, quod vniuerſale dicatur aptum ineſſe multis, debere intelligi de aptitudine logica, non phyſica. Vocatur autem aptitudo phyſica, ea aptitudo rei naturalis, quam neceſſe eſt aliquando reuocari in actum, quia alioquin fruſtra eſſet, qualis eſt potentia, vel aptitudo ignis ad calefaciendum. Poteſtas verò logica, non eſt aliud, quàm non repugnantia quædam. Vnde naturam aptam eſſe, vt ſit in multis poteſtate logica, non eſt aliud, quàm naturæ, quatenus ab inferioribus abſtrahitur, non repugnare, quominus poſſit eſſe in multis, & de multis prædicari: quia antequam abſtraheretur, cùm in rebus ſingularibus exiſtens, eſſet ſingularis, repugnabat ei eſſe in multis, id eſt, non poterat eſſe in multis, proindéque nec vniuerſalis, quia non poteſt ſi-

mul, & ſemel eſſe vniuerſalis, & ſingularis, cùm illa duo ſint contraria; at ſublato illo impedimento per actionem mentis, quando cogitatur, & apprehenditur quaſi ſeparata à ſingularibus, non repugnat illi amplius, atque hanc poteſtatem, non oportet aliquando reuocari in actum: quemadmodum dicimus, continuum poſſe diuidi in infinitum, non quod hæc poteſtas poſſit vnquam in actum reuocari, ſed quia illi non repugnat, quatenus continuum eſt, diuidi poſſe in infinitum. Quas duas conditiones, rectè expreſſit D. Thom. cap. 4. opuſc. de ente, & eſſentia, cùm dixit, ad rationem vniuerſalis pertinere vnitatem, & communitatem, quia videlicet, vniuerſale debet eſſe vnum, & tamen commune multis. Tertia conditio eſt, vt ſit ita vnum in multis, vt ſit etiam aliquo modo extra illa multa, quæ conditio ſic debet intelligi, diuerſa ratione, vt vniuerſale ſit vnum in multis re ipſa, quia natura humana, verbi gratia, quæ eſt ſpecies, ex rei veritate, eſt in ſingulis hominibus, nec ab illis differt realiter. Eſt verò extra multa, per rationalem tantùm, quia, nimirum, natura humana fit vniuerſalis, quando abſtrahitur ab inferioribus, at quando abſtrahitur per actionem intellectus à ſingularibus, eſt obiectiuè in intellectu, & proinde extra indiuidua, non quidem re ipſa, vt dixi, ſed ratione tantùm: itaque licet repugnet aliquid ſimul eſſe in multis, & extra multa, ſi eadem ratione intelligantur, non tamen repugnat, ſi diuerſa, nempe, ſi vnum reuera ſit in multis, & per actionem mentis, extra multa. Quarta conditio eſt, vt natura quæ eſt vniuerſalis, & vna, ſit ita cõmunis, & eo modo in multis, vt multiplicetur

ad multiplicationem indiuiduorum, ſecundùm vnitatem numericam, vt homo, multiplicatur ad numerum particularium hominum, quia natura humana, quæ eſt in Petro realiter, & numericè loquendo, non eſt illa quæ, eſt in Paulo; defectu cuius conditionis, natura Dei excluditur à ratione vniuerſalis, nec Deus poteſt fieri vniuerſalis, licet enim natura diuina, habeat alias conditiones, quia eſt vna, communis tribus perſonis. Nam perſona eſt Deus per naturam diuinam, tamen non eſt vniuerſalis, quia natura diuina non multiplicatur, ad multiplicationem ſuppoſitorum, & perſonarum; ſed eſt eadem omnino in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, vnde non ſunt tres dij, ſed vnus Deus, quia eſt eadem omnino deitas in tribus.

Areola vniverſalis.

De quinque vniuerſalibus Genere, Specie, Differentia, Proprio, & Accidente.

Eſt igitur vniuerſale ſiue commune, id quod aptum eſt ineſſe multis, & de illis prædicari: ſunt autem quinque vniuerſalia, Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens. De quibus in hac areola dicendum eſt.

De Genere.

Genus vulgò tribus modis vſurpari ſolet. Primò pro collectione multorum, qui aliquo modo inter ſe, & ad vnum principium, à quo habent originem, affecti ſunt; quo ſenſu, genus ſignificat progeniem, ſeu ſtirpem, quam, definit Iuriſconſultus, plurium eſſe perſonarum multitudinem, quæ ab eiuſdem genitoris ſanguine proficiſcitur; vt Herculeorum genus, pro iis, qui originem duxerunt

duxerunt ab Hercule; in qua acceptione, notandum eſt, triplicem eſſe poſſe comparationem. Primam multitudinis, & progeniei ad ſuum principium: ſecundam, principij ad multitudinem: tertiam multitudinis inter ſe, ſecundùm quam, alij ſunt patres, alij filij. Secundò genus ſumitur, pro principio ortus vnius cuiuſque, qualis eſt patria, & vterque parens. Tertiò pro eo, cui ſubiicitur ſpecies, & in hac tertia acceptione, hîc à nobis vſurpatur, eámque, docet Porphyrius in Iſagoge, habere ſimilitudinem cum duabus prioribus, & ab illis eſſe deriuatam, quia hoc genus logicum, ſignificat multitudinem ſpecierum, & ſpecies reſpiciunt illud, tanquam ſuum principium, & originem: tamen inter hoc genus, & duo priora id diſcriminis reperitur; quod illa, nec inſint ſuis inferioribus, nec de illis dicantur, hoc autem genus logicum contrà, animal enim ineſt homini, & bruto, & de illis, verè prædicatur. Notabis tamen quartam acceptionem generis, tradi nonnunquam ab Ariſtotele 1. de gen. & cor. cap. 6. & 1. met. c. vlt. & alibi, pro materia phyſica: ſic enim quærunt Philoſophi, an cœli & elementa diſtinguantur genere, id eſt materia. Sumitur etiam pro ſubiecto cuiuſque ſcientiæ, quòd frequenter dicitur Ariſtoteli, γένος ὑποκείμενον. 1. poſter. c. 7. interdum & pro ſpecie infima. 2. met. c. 2. vltima genera vocat.

Definitur autem genus logicum à Porphyrio, quod de multis ſpecie differentibus, in eo quod quid eſt, enunciatur. Vt animal de homine, & bruto; quæ quidem definitio accidentaria eſt, ſeu deſcriptiua: quare vt intelligatur, paucis notan-

Digitized by Google

dum eſt, inter definitionem eſſentialem, & accidentariam, ſeu deſcriptiuam hoc diſcrimen reperiri, quòd illa ſit oratio explicans naturam rei per attributa eſſentialia; nempe, genus, & differentiam: hæc autem, per accidentia, & proprietates; prioris exemplum eſt hæc, homo eſt animal rationale; poſterioris, homo eſt animal riſibile. Statuendum eſt igitur definitionem generis traditam à Porphyrio, ſcilicet, genus, eſt quod poteſt prædicari de multis ſpecie differentibus in quid; eſſe accidentariam, ſeu deſcriptionem: quia fit per proprietatem vniuerſalis, quæ eſt prædicari de multis: quod apertè indicat Porphyrius cap. de genere. Nam traditurus illam, de genere loquens, ait, οἱ ὑπογράφοντες, id eſt, quod deſcribentes. Et ſub finem eiuſdem capitis, vocatur, ὑπογραφὴν, id eſt, deſcriptio; quod ab eo factum fuiſſe putandum eſt, quia notior eſt proprietas vniuerſalis, nempe, eſſe prædicabile de multis, non autem propter defectum generis, quod eſt vniuerſale. Itaque poſſet genus, ſic, eſſentiali definitione explicari. Genus eſt vniuerſale, vel id, quod aptum eſt ineſſe multis ſpecie differentibus, tanquam pars eſſentialis reſpondens materiæ. Nam loco generis, ponitur vniuerſale, vel eius definitio, ſcilicet, quod aptum eſt ineſſe multis: quod autem inſit ſpecie differentibus, diſtinguitur à ſpecie; quod dicatur pars eſſentialis, ſecernitur à proprio, & accidente; quod denique, vt reſpondens materiæ, à differentia ſeparatur. Porrò genus duplex eſt, vnum ſummum, quod ſemper eſt genus, & vnicam habet comparationem, ſcilicet, ad inferiora; dicitúrque Græcè, γένος γενικώτατον, ſupra quod aliud genus eſſe non

poteſt; vt ſubſtantia, quantitas: alterum interie-ctum, vel ſubalternum, Græcè, γένος ὑπάλληλον quod ratione ſuperiorum eſt ſpecies, reſpectu verò inferiorum, genus, vt corpus, animal, virtus.

De Specie.

Speciei nomen tribus modis ſumitur. Primò pro forma, & pulchritudine cuiuſlibet rei, vt cùm Euripides dixit, πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος. id eſt, prima quidem ſpecies digna eſt imperio. Secundò pro forma interna, ſeu eſſentia rei. 2. Phyſ. c. 2. & 1. de cæl. c. 9. Tertiò ſumitur pro ſpecie logica, quæ eſt ſecunda ſpecies vniuerſalis, quæ quidem acceptio, deducta eſt à prima; quia ſpecies eſt pulchritudo generis, cuius naturam nobis quodammodo reddit aſpectabilem; ideoque εἶδος, plerique dici volunt, ἀπὸ τοῦ εἰδεῖν. Huius autem ſpeciei Porphyrius aſſignat triplicem definitionem. Prima eſt, quod ſubeſt generi: ſic dicimus hominem eſſe ſpeciem animalis, quia illi ſubiicitur. Secunda ſpecies, dicitur de qua genus in eo quod quid eſt enunciatur. Tertia ſpecies, eſt vniuerſale, quod de multis numero differentibus, in eo quod quid eſt, enunciatur. Inter quas ſtatuit hoc diſcrimen, quod poſtrema ſoli ſpeciei infimæ conueniat; duæ autem priores, tùm infimæ, tùm interiectæ. Eſt enim duplex ſpecies, infima, ſeu ſpecialiſſima, Græcè εἶδος εἰδικώτατον, quæ, nimirũ, ita eſt ſpecies, vt numquã poſſit eſſe genus; quam Ariſt. 2. poſter. c. 13. vocat εἶδος τελευταῖον. q. d. ſpeciem conſummatam, quæ ſc. adepta eſt extremam perfectionem inter vniuerſalia. alibi quoque ἄτομον καὶ ἔσχατον. vt homo; & interiecta, ſeu ſubalterna, Græcè εἶδος ὑπάλληλον, quæ ita eſt ſpecies, vt poſſit

etiam eſſe genus, diuerſa comparatione; vt animal, reſpectu hominis, & bruti, eſt genus; reſpectu verò viuentis, eſt ſpecies. Vnde liquet, triplicem eſſe comparationem, inter ea quæ in Categoriis reponuntur; nam ſummum genus, ſiue generaliſſimum, habet vnicam relationem, nempe, ad inferiora; genus verò interiectum, duplicem, ad ſuperiora, & inferiora; ſpecies denique infima, vnam, nempè, ad ſuperiora: non quod ſpecies infima, non habeat duplicem relationem, vnam, qua refertur ad ſuperiora, alteram, qua ad inferiora, ſed quia etiam, ſi diuerſam habeat, tamen ſemper retinet nomen ſpeciei; vt homo, tam reſpectu animalis, quàm ſingulorum hominum, dicitur ſpecies, quod non accidit ſpeciebus, ſeu generibus interiectis, quia animal, reſpectu viuentis, dicitur ſpecies, at reſpectu hominis, & bruti dicitur genus.

Quoniam diximus ſpeciem infimam, habere relationem ad inferiora, quæ ſunt indiuidua, & ſingularia; operæ pretium erit dicere, quid, & quotùplex ſit indiuiduum. Eius autem duplex traditur definitio: prior eſt, indiuiduum, dicitur quod de vno ſolo prædicatur. Poſterior indiuiduum, eſt quod habet multas proprietates, quæ in nullo alio ſimul eſſe poſſunt. Cæterùm Porphyrius videtur diſtinguere triplex indiuiduum, ſcilicet, indiuiduum determinatum; vt Petrus; indiuiduum ex demonſtratione, vt hic homo; & indiuiduum ex ſuppoſitione, vt Sophroniſci filius, ſi ſupponamus Sophroniſcum vnicum habuiſſe filium.

De Differentia.

Quintuplex traditur differentiæ diuiſio, quæ

antequam extendatur, notanda erit nominis differentiæ ſignificatio. Primò namq; ſumitur differentia, pro diſſimilitudine, ſeu relatione, qua res diſſimilis relatiuè opponitur alteri; ſicut ſimilitudo, ſignificat relationem, qua ſimile refertur ad aliud ſimile. Secundò pro eo omni quod facit differre. Tertiò ſumitur, pro tertio vniuerſali: itaq; differentia, generatim ſumpta, dicitur id, quod facit aliquid diſſimile, & alio modo ſe habere; ſeu eſt forma, qua aliquid, ab alia re, aut à ſe ipſo, in alio, atque alio tempore, differt: vnde natum videtur diſcrimen à quibuſdam aſſignatum, inter hæc duo, nempe, differentia, & diuerſa, quod diuerſa, propriè, ſolùm ea dicantur, quæ ſunt diuerſarum categoriarum, nihílque ſynonymum commune habent; vt homo, qui eſt ſubſtantia, & candor, qui eſt qualitas; differentia verò, ea propriè dicuntur, quæ à ſe inuicem diſſident in eadem categoria; hoc eſt, quæ habent aliquid in quo vniuocè conueniant, & aliud, in quo differant; vt homo, & equus, qui ſunt eiuſdem categoriæ ſubſtantiæ; vniuocè namque conueniunt in ratione animalis, & diſſident penes rationale, & irrationale.

Quod ſpectat ad diuiſiones ipſius differentiæ, imprimis vulgò diuiditur in communem; vt accidens commune, verbi gratia, candor; propriam; vt ſunt rerum propriæ affectiones, riſibile, latrabile, & maximè propriam; vt ſunt differentiæ eſſentiales, ſenſibile, rationale. quæ diuiſio, ſumpta eſt ex modis quibus res aliæ ab aliis differre poſſunt; vel enim differunt ratione eſſentiæ, quod eſt maximè propriè differre; vel ratione eorum quæ conſequuntur eſſentiam, & quidem bifariam, vel

enim ſumitur ex affectione inſeparabili, & ſemper inhærente, & dicitur proprius modus; aut ex ſeparabili, & vocatur communis, inter quas, ſtatuitur triplex diſcrimen; primum, quod maximè propria differentia efficiat rem aliam, id eſt, diuerſam in eſſentia; propria verò, & communis, alteram tantùm, id eſt, diſſimilem, & diuerſam in accidente: ex quo ſecunda diuiſio differentiæ à nonnullis colligitur, in eam, quæ facit rem alteram, Græcè ἑτεροῖον vel ἀλλοῖον, id eſt, quæ accidentario rem mutat; vt accidens proprium, & commune; & in eam, quæ facit rem omnino aliam, Græcè ἄλλο, id eſt, quæ rem mutat ſecundum naturam & eſſentiam; vt differentia maximè propria: ſecundum diſcrimen eſt, quod differentiæ maximè propriè, dicantur cum adiectione, nempè, ſpecificæ, quia conſtituunt ſpeciem: aliæ verò ſimpliciter differentiæ, quia non attingunt eſſentiam rei. Vbi ex Caietano in hunc locum interdum contingere poteſt ex perfectione rei; vt res aliqua, dicatur talis ſimpliciter, & ſine adiectione; vt cùm ſubſtantia dicitur ſimpliciter ens, & accidens, cum adiectione, entis ens; aliquando verò ex imperfectione; vt cùm dicimus brutum eſſe ſimpliciter ſenſus capax, hominem autem præterea, rationis participem; quo poſteriori modo differentia communis, & propria, dicuntur ſimpliciter differentiæ: poſtremum diſcrimen eſt, quod differentiæ maximè propriæ adhibeantur in diuiſionibus generum, & in definitionibus ſpecierum, communis verò, & propria, non item, niſi quando maximè propriæ ignorantur.

Tertia diuiſio eſt in ſeparabilem, vt plerque

accidentia ex communibus, putà candor; & in differentiam inſeparabilem, cuiuſmodi ſunt differentia propria, & maximè propria.

Quarta diuiſio vel ſubdiuiſio præcedentis, ſcilicet differentiæ inſeparabilis; alia enim, dicitur inſeparabilis per ſe, vt maximè propria, alia per accidens, nempe propria. Quod ſi quis dicat 1. poſteriorum cap. 4. textu 9. proprietatem, dici per ſe, de re cuius eſt proprietas. Reſpondetur, per ſe, hìc ſumi, pro eo quod eſt de eſſentia rei: vnde, cùm proprietas non attingat eſſentiam rei, hìc non dicitur per ſe; at loco citato 1. poſteriorum (per ſe) ſumitur, pro eo, quod habet certam cauſam in eſſentia rei, propter quam ineſt, ſicque proprietas, hoc ſenſu, poteſt dici per ſe. Porrò inter vtramque differentiam inſeparabilem per ſe, & per accidens, aſſignari poteſt, duplex diſcrimen. Primum quod inſeparabilis per accidens, faciat rem diuerſam in accidente, nec aſſumatur in definitione rei: at differentia inſeparabilis per ſe, contrà, faciat rem diuerſam in eſſentia, & ponatur in definitione. Alterum eſt, quod illa, ſuſcipiat magis, & minus, id eſt, non ſemper æqualiter inſit; vnus enim Æthiops, poteſt eſſe nigrior altero; hæc verò, non item, quia, vt docet Ariſtoteles 8. Metaphy. cap. 3. t. 10. eſſentiæ rerum ſunt ſimiles numeris, qui acceſſione, vel detractione vnitatis mutantur in ſpecie; ita etiam ſi quid addideris, vel detraxeris differentiæ eſſentiali, mutatur omnino. Notabis tamen, quod cùm dicimus, proprias differentias intendi, & remitti, vel ſuſcipere magis, & minus, intelligendum eſt id, de quibuſdam, non de omnibus: nam ſub differentia propria con-

tinentur proprietates quarto modo, & accidentia inſeparabilia; quare verum eſt de his, non de illis.

Quinta diuiſio, differentiæ, eſt in differentiam diuidentem genus, vt rationale, & irrationale; & in eam, quæ conſtituit ſpeciem. Vbi obſeruandum eſt, ſumma genera, habere tantùm differentias diuidentes; vt ſubſtantia, habet corpoream, & incorpoream: infimas verò ſpecies, habere tantùm differentias conſtituentes; vt homo, per rationale conſtituitur: at genera interiecta, habent, tàm differentias diuidentes, quàm conſtituentes, diuerſa tamen ratione; vt ſenſibile, vnà cum inſenſibili diuidit viuens, & ſenſibile conſtituit animal.

Porphyrius, in poſteriori parte capitis de differentia, tradit quinque definitiones differentiæ. Prima eſt, differentia dicitur, qua ſpecies ſuperat genus; vt homo, ſuperat animal per rationale, quoniam animal, non includit diſtinctè rationale; vbi docet, differentias non eſſe actu in genere, ſed poteſtate tantùm. Secunda eſt, differentia eſt, quæ de multis ſpecie differentibus in quale quid enunciatur: quam poſtremam particulam, in quale quid, declarat ex modo interrogandi, in quale quid, ad quem reſpondetur differentia: Deinde quia differentia proportione, reſpondet formæ, ſicut genus, materiæ. Quemadmodum enim ſtatua componitur ex ære, tanquam ex materia, & ex figura, vt ex forma: ſic ſpecies, ex genere, & differentia: vnde differentia prædicatur in quale quid, tanquam pars eſſentialis reſpondens formæ. Tertia definitio eſt, differentia dicitur, quæ diuidit genus, Quarta differentia eſt, qua ſingula differunt.

Quinta differentia, eſt quâ vna ſpecies differt ab altera; & ad eſſentiam illius ſpeciei pertinet. Vulgò autem ſic definitur; Differentia eſt vniuerſale, quod enunciatur de multis ſpecie, vel numero differentibus, in quale quid. Eſt enim duplex differentia, vna generica, quæ prædicatur de multis ſpecie differentibus; vt ſentiens; altera ſpecifica, quæ enunciatur dę multis numero differentibus in quale quid; vt rationale, de ſingulis hominibus.

Triplex eſt autem differentiæ munus, diuidere genus; vt rationale, & irrationale, diuidunt animal; conſtituere ſpeciem, vt eædem conſtituunt hominem & brutum; denique facere differre ſpeciem à qualibet alia; vt rationale, diſtinguit hominem à belluis.

De Proprio.

Duplex eſt acceptio proprij generaliſſimè ſumpti; prior eſt, quâ ſumitur proprium, pro eo quod non eſt commune, quo ſenſu, res poſſeſſa dicitur propria: poſterior eſt, quâ ſumitur proprium, pro eo, quod non eſt extraneum, & accidentarium; & certum eſt quidem vſurpatum fuiſſe proprium, in hac poſteriori ſignificatione, à Porphyrio, cap. de proprio, non in priori; quia hîc agitur de proprio, quatenus eſt vniuerſale, & prædicabile, proindéque commune multis; ſumptum ergo proprium, quatenus ſignificat id, quod non eſt extraneum, & omninò accidentarium rei, quadripartitò à Porphyrio diuiditur; ait enim proprium dici: Primò, illud, quod vni ſoli ſpeciei, ſed non toti, id eſt, non omnibus eius inferioribus, accidit; vt eſſe Medicum, vel eſſe Geometram, ſoli homini conuenit, non tamen ſingulis hominibus. Secundò, quòd

toti ſpeciei conuenit, non tamen ſoli; vt homini bipedem eſſe. Tertiò, quod omni, & ſoli, ſed non ſemper, vt caneſcere ſoli quidem homini, & omni conuenit, ſed tamen in ſenectute duntaxat. Quartò, quod toti, ſoli, & ſemper; vt homini eſſe riſibilem.

Quæ quidem diuiſio, originem traxit ex variis modis, quibus proprietates afficiunt naturam ſpecificam, quam conſequuntur. nam in primis ſunt quædam proprietates, quæ, licet conueniant ex ſe naturæ ſpecificæ, in aliquo tamen indiuiduo impediri poſſunt; huiuſmodi ſunt, qualitates elementorum in ſummo gradu; quamuis enim ſoli igni conueniat habere ſummum calorem, & aquæ ſummum frigus, fieri tamen poteſt, vt aliqua eorum indiuidua, non habeant: ſic etiam, licet conueniat homini eſſe Philoſophum, fit tamen, vt non omnes euadant Philoſophi, quia non omnes applicant animum ad ſtudium Philoſophiæ: vnde hæ proprietates dicuntur, conuenire ſoli ſpeciei, ſed non omni, id eſt, non omnibus indiuiduis illius. Secundò, aliæ proprietates ita conueniunt naturæ ſpecificæ, vt in omnibus eius indiuiduis ſint, nec in aliquo poſſint impediri, quia tamen illis non conueniunt, ratione principij proprij eſsētiæ, ſed ratione alterius ſuperioris & communis, hinc fit, vt aliis etiam conueniant; vt eſſe ſenſus capacem homini, & illuminare igni tribuuntur, dicuntúrque conuenire omni, ſed non ſoli. Tertiò, aliæ ſunt, quæ conueniunt omnibus. & ſolis indiuiduis naturæ ſpecificę, quoniam oriuntur ex principio proprio, & determinato, non tamen à primo ipſorum ortu, ſed certo quodam tem-

pore, vnde dicuntur conuenire omni, & ſoli, ſed non ſemper; vt homini, vſus liberi arbitrij, & canescere in ſenectute. Quartò denique aliæ ſunt magis internæ, quæ proximè manant ab eſſentia rei, conueniúntque omni, ſoli, & ſemper, vnde appellantur proprietates quarto modo, & præcipuæ; à Porphyrio κυρίως ἴδια, id eſt, propriè propria; vt homini eſſe riſibilem, id eſt, habere aptitudinem ad ridendum.

Cæterùm obſeruandum eſt, Porphyrium deſumpſiſſe hanc diuiſionem, ex 1. Top. cap. 4. & 5. Top. cap. 1. vbi eandem tradit Ariſtoteles, licet aliis verbis, ait enim, aliud eſſe proprium abſolutè, aliud proprium aliquãdo, aliud proprium ad aliud: proprium abſolutè, dicitur quòd non indicat naturam rei, ſoli autem ineſt, & conuerſim prædicatur; éſtque idem, cum proprio quarto modo Porphyrij. Proprium aliquando, eſt idem cum proprio tertio modo Porphyrij, dicitúrque conuenire omni, & ſoli, ſed non ſemper: tándem proprium ad aliud, dicitur quod ſecũdùm ſe commune eſt aliis, ſi tamen ſubiectum cui ineſt, conferatur cum aliis. dicitur proprium; vt bipes, abſolutè non eſt proprium homini, ſed tantùm quatenus comparatur cum equo. Ad hoc autem reuocantur communiter duo propria, primo & ſecundo modo Porphyrij, quamuis videatur ſolùm complecti, id, quod omni, ſed non ſoli, conuenit.

Porrò licet tam variis modis proprium vſurpetur; aduertendum tamen eſt, ſolùm proprium abſolutè, vel quarto modo conſtituere quartum prædicabile; vt riſibile, per quod, non intelligitur actus ridendi, ſed aptitudo & poteſtas ad riden-

dum, quâ nullus hominum carere poteſt, licet enim, vt teſtantur hiſtoriæ, dicantur quidam nunquam riſiſſe, vt refert Plin. lib. 7. naturalis hiſt. cap. 19. & Cicero 5. de finibus, de Craſſo & Heraclito, qui idcircò appellati ſunt ἀγέλαστοι, habuerunt tamen aptitudinem naturalem ad ridendum.

De Accidente.

Quoniam Accidentis nomen ambiguum eſt, idcircò variæ eius acceptiones traduntur ab Ariſtotele 5. Metaph. cap. 3. Primò enim interdum ſumitur pro eo, quod fortuitum eſt; vt fodientem inuenire theſaurum. Secundò, pro eo, quod habet incertam cauſam; vt nauigantem in Indiam, tempeſtate aliò abripi. Tertiò, dicitur, de cuiuſlibet rei proprietate; vt triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis; præter quas acceptiones, aliæ quoque reperiuntur. Nam quartò interdum ſignificat, quidquid non eſt de alterius eſſentia; quomodo cap. de relatis, Ariſtoteles ait, hominem, eſſe accidens reſpectu relationis, quæ eſt inter dominum & ſeruum; quia ſcilicet, homo non eſt de eſſentia relationis illius. Quintò, vt differt à ſubſtantia, ſiue vt ſignificat, quidquid non eſt ſubſtantia; quomodo nouem categorias accidentium, & proprietatem complectitur; quæ omnes acceptiones ad hunc locum minimè ſpectant. Sextò, ſumitur aliquando accidens, quatenus diſtinguitur à proprio, id eſt, quatenus ſignificat, id quod ita aduentitium eſt, vt nec ſubiecti eſſentiam attingat, nec ab ea fluat, vocatúrque commune accidens, ſed conſtituit quintum vniuerſale.

Quod verò attinet ad illius diuiſiones, tres præcipuæ conſtitui ſolent: prima ſumitur, ex vario

enunciandi modo; vel enim accidens prædicatur de ſubiecto; vt cygnus eſt candidus; vel ſubiectum de accidente; vt candidum eſt cygnus; vel accidens de accidente; vt candidum eſt dulce. Secunda eſt in accidens Metaphyſicum, id eſt, ſecundùm rem ſpectatum; vt candor, quatenus eſt talè accidens; & logicum, id eſt, affectum intentione, quod quidem, ſi conferatur cum ſuis inferioribus in abſtracto, erit genus, vel ſpecies; vt color, de candore, & atrore, candor de hoc, & illo candore; ſi verò in concreto, cum ſubiecto cui ineſt comparetur, erit quintũ vniuerſale, quomodo hîc tractatur de accidente; vt candidum cum niue, & olore. Tertia eſt, quæ traditur à Porphyrio cap. de accidente in accidens ſeparabile, vt eſt candor, reſpectu parietis; & inſeparabile, vt cicatrix in facie, & nigror in coruo.

Tradit autem Porphyrius tres definitiones Accidentis: Prima, accidens eſt, quod adeſt & abeſt ſine ſubiecti interitu; vt candor, qui poteſt parieti adeſſe, & abeſſe, ſaluâ manente parietis naturâ. Secunda, accidens dicitur, quod ineſſe eidem, & non ineſſe poteſt. Tertia, quod nec genus eſt, nec ſpecies, nec differentia, nec proprium, ſempérque in ſubiecto inhæret. Quatenus autem vniuerſale eſt, ſic definiri ſolet; accidens, eſt vniuerſale, quod prędicatur de multis, in quale accidentarium, non reciprocum: ſic enim diſtinguitur à proprio, quod eſt vniuerſale, cum ſpecie reciprocum, & conuertibile; quódque de illa, & eius inferioribus enunciatur in quale neceſſarium, non tamen eſſentiale, ſed accidentarium.

Intervallvm III.

De nomine Categoriæ, variæ acceptiones, vtilitas Categoriarum, definitio, numerus.

KAτηγορία, eſt Græcum nomen, quod ſignificat publicam accuſationem, & κατηγορεῖσθαι; accuſare: ab Ariſtotele verò verecundè, ab vſu forenſi, ad ſcholas eſt tranſlatum, ad ſignificandas attributiones rerum, propter quandam, inter eas, & accuſationes, analogiam; quia in attributionibus, ſuperiora videntur quodammodo accuſare inferiora; & quemadmodum in iudiciis, accuſator dicere ſolet contra defenſorem; ita etiam prima genera eam vim habent, vt de omnibus dicantur; quamuis etiam Ammonius, præfatione in Porphyrium, τὰς κατηγορίας, dictas putet, paulò immutato vocabulo, quaſi ἀγορεύειν κατὰ τινῶν, de quibuſdam attributiones, & enunciationes; ἀπὸ τοῦ κατ' ἀγορεύω: quomodo vocabulum illud propriè, & non figuratè vſurpabitur. Cæterùm categoriæ nomen, apud Philoſophos, tribus modis ſumitur. Primò, pro attributo ſimplici cuiuſlibet enunciationis, licet rariùs; ſicut per congregationem, vel conuentum, intelligimus homines congregatos, & per conceptionem, ea quæ animo concepimus. Itaque nomen κατηγορίας, id eſt, prædicationis, ſumitur interdum, ἀντὶ τοῦ κατηγορουμένου, id eſt, pro eo, quod prædicatur de aliquo: ſic

Diuus Auguſtinus in libello ſuo categoriarum, vocat animal categoriam ſubſtantiæ, & diſciplinam categoriam qualitatis; ſicque apud Græcos κατηγορία, idem eſt aliquando, atque κατηγόρημα, id eſt, prædicatum; apud Latinos tamen, prædicatio, tantùm ſignificat actionem illam prædicandi, & prædicamentum, vel prædicatum, rem ipſam quæ prædicatur. Secundò ſumitur, pro tota aliqua ſerie, & coordinatione multorum attributorum eiuſdem ordinis, in qua, quædam ſunt ſuperiora, quædam media, & quædam inferiora. Tertiò, pro ſummo genere cuiuſque categoriæ, hoc autem loco ſumitur in ſecunda & tertia ſignificatione, ita vt, decem categoriæ, nihil aliud ſint, quàm decem claſſes, & ordines, in quibus ſunt decem capita, quæ de inferioribus dicuntur, & nullis ſubiiciuntur: quarum quidem vtilitatem, ſi paucis ſcire deſideras: notabis, tria eſſe quæ nos impediunt, ne res cognoſcamus. Primum, eſt infinita propè rerum multitudo. Secundum, earumdem obſcuritas, latent enim nos differentiæ, & proprietates rerum. Tertium, confuſio earum; in eodem enim, verbi gratiâ, homine permixtæ ſunt, & confuſæ res omnium categoriarum, quæ quidem tria, tolluntur maiori ex parte per cognitionem Categoriarum; nam & omnem multitudinem, ad decem capita reuocat, & res eiuſdem ordinis, in ſingulis categoriis reponit, & quæ ſit natura cuiuſque categoriæ, quæ ſpecies, & proprietates eiuſdem, abundè explanat. Eſt igitur prædicamentum, ſiue κατηγορία, ſeries plurium generum, ac ſpecierum, quæ ſub vno ſupremo genere, ordine quodam ſunt digeſta; vt ſubſtantia, cor-

pus, viuens, animal, homo, Petrus. Sunt autem decem, ſcilicet, ſubſtantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, paſſio, vbi, quando, ſitum eſſe, & habere. & quia nouem poſteriorum, quæ accidentis nomine appellantur, ſubiectum eſt ſubſtantia, ideò prima eſt omnium.

Areola categorica, ſeu prædicamentalis.

De Subſtantia.

Vt intelligamus, quo ſenſu hîc agatur de ſubſtantia, & quæ ſit prima eius ratio, ſeu natura: obſeruandum eſt, nomen ſubſtantiæ, Græcè τῆς οὐσίας, variis modis vſurpari. Primò enim interdum ſignificat eſſentiam rei, quæ definitione explicatur, quomodo non minus conuenit accidentibus, quàm ſubſtantiis. Secundò aliquando ſumitur, pro omni re quæ non eſt accidens; hoc ſenſu ſumpſit Ariſtoteles, 1. Phyſic. cap. 6. & diuiditur in ſubſtantiam finitam & infinitam, perfectam & imperfectam, completam & incompletam. Secundùm quam acceptionem, nomen ſubſtantiæ poteſt tribui Deo, & partibus ſubſtantiæ, quæ non ſunt per ſe & directè in categoria ſubſtantiæ. Tertiò, ſumitur, pro ſubſtantia completa, & perfecta ex potentia & actu, quo ſenſu hîc à nobis vſurpatur, & hanc categoriam conſtituit. Quartò, ſumitur aliquando preſſiùs pro ſolis primis ſubſtantiis, vt apud Ariſtotelem 7. Metaph. cap. 13. vbi negat genera & ſpecies ſubſtantiarum eſſe ſubſtantias, ſcilicet, particulares, quæ ſignificant hoc aliquid. Quarum ſignificationum prima eſt communis; ſecunda, propria; tertia, magis propria;

pria; quarta, maximè propria; ex quo intelligimus, rationem formalem huius categoriæ in eo conſiſtere, quòd ſit ſubſtantia finita & completa, ſiue ſit compoſita phyſicè, & ex materia & forma, ſiue non, ſed tantùm metaphyſicè, ex genere & differentia ſubſtantiali, vel ex potentia & actu: itaque generalis ſubſtantiæ deſcriptio hæc eſſe poteſt, vt ſit ens per ſe, & completè exiſtens. Dixi deſcriptionem, non definitionem, quia ſumma genera non poſſunt accuratè definiri, cùm non habeant genus ſuprà ſe, alioqui non eſſent ſuprema, neque differentiam, cùm ab Ariſtotele dicantur, primò diuerſa, & ſe ipſis totis diſtingui, non per aliquam differentiam: vel ſic definiri poteſt ſubſtantia categorica, ſiue potiùs deſcribi, ens reale, completum, finitum, aptum per ſe exiſtere. Dicitur primò reale, vt excludantur entia rationis, quæ videntur eſſe ſubſtantiæ, & non ſunt; vt chimæra, hippocentaurus. Dicitur ſecundò completum, vt excludantur partes, exempli causâ, caput, manus, pes. Tertiò dicitur finitum, vt excludatur Deus à categoria. Quartò additur aptum per ſe exiſtere, vt excludantur accidentia, quæ tantùm ſunt apta exiſtere in alio naturaliter. Vbi notabis nos dixiſſe, aptum per ſe exiſtere, quia non eſt neceſſarium, ad hoc vt aliquid ſit in categoria ſubſtantiæ, vt actu per ſe exiſtat, per ſuam propriam ſubſiſtentiam; ſed ſatis eſt, vt ſit aptum ſubſiſtere, ſi relinqueretur ſuæ naturæ: nam reuerà humanitas Chriſti, nullam habet ſubſiſtentiam propriam, & tamen non deſinit eſſe in categoria ſubſtantiæ, quia eſt apta per ſe exiſtere, niſi præueniretur à ſubſiſtentia Verbi diuini.

Subſtantia verò diuiditur, in corpus, & ſpiritum; corpus verò in corpus animatum, & in inanimatum; ſpiritus autem ſubdiuiditur in Angelos primi, ſecundi, & tertij ordinis. Eſt autem duplex ſubſtantia: prima, id eſt, ſingularis, & indiuidua, vt Petrus: & ſecunda, id eſt, vniuerſalis, vt animal, homo, & cætera genera, ac ſpecies, quæ in categoria ſubſtantiæ collocantur. Prima autem, ſic appellatur, quia eſt fundamentum primum ſecundarum: ideóque vocatur ab Ariſtotele maximè ſubſtantia, & maximè propriè ſubſtantia: vel dicitur prima, propter principatum in exiſtendo; exiſtit enim πρώτως, agit πρώτως, ſentitur πρώτως, vnde & Ariſtoteles has vocat κυριωτάτας καὶ μάλιστα, propriiſſimas & maximè ſubſtantias. Porrò ſubſtantia multas habet proprietatès: prima eſt, nihil ei eſſe contrarium: ſecunda, non ſuſcipere magis & minus: tertia, quæ maximè propria dicitur eſſe illius affectio, vt vna numero manens, cùm ſui mutatione ſuſcipiat contraria.

De Quantitate.

Quantitas, eſt ens categoricum, ſecundùm quod res dicuntur eſſe quantæ, vel aliquot, vt homo, dicitur magnus, paruus, ſecundùm quantitatem, homines dicuntur eſſe duo, tres, quatuor, quinque: vnde facilè colliges quantitatis naturam in eo poſitam eſſe, vt efficiat extenſionem partium extra partes: cuius duæ ſunt formæ, ſeu ſpecies in quas primùm diuiditur, nempe, in continuam, Græcè συνεχῆ: & diſcontinuam, ſeu diſcretam, Græcè διῃρημένην. Continua definitur, cuius partes communi termino copulantur; vt lineæ partes, copulantur punctis; ſuperficiei partes, li-

neis, & partes corporis ſuperficiebus. Diſiuncta verò, ſeu diſcreta contrà, cuius partes non vinciuntur cõmuni termino, ſed ſunt ſeparatæ: vocatur autem terminus communis, ſeu nexus, & vinculum, quia ad vtramque partem quodammodo pertinet, quoniam eſt principium vnius, & finis alterius: vt docet Ariſtoteles 6. Phyſic. cap. 1. vbi ait, continua eſſe, quorum extrema ſunt ſimul. Sunt autem duo neceſſaria, vt aliquid ſit terminus communis: vnum eſt, vt non ſit pars eius cuius eſt terminus; eſt enim terminus indiuiſibilis, eo diuiſionis genere, quo, id quod copulatur, diuidi poteſt: At repugnat, id quod diuiſibile eſt, componi ex indiuiſibilibus: alterum, vt ſit vnâ dimenſione minor eo, cuius eſt terminus; ſic linea, minor eſt ſuperficie, cuius eſt terminus, quoniam illa, ſolâ longitudine, hæc longitudine, & latitudine conſtat. Porrò quantitatis continuæ ſpecies quinque enumerantur ab Ariſtotele, ſcilicet, linea, ſuperficies, corpus, locus, & tempus: diſcretæ verò duæ, numerus & oratio, quas omnes eſſe veras quantitatis ſpecies inductione probat, maximéq; orationem; quia, nimirum, illi conuenit proprietas quantitatis, nempe eſſe menſurabilem, eius enim partes, putà ſyllabæ, dicuntur longæ, vel breues.

Secundâ diuiſione, partitur Ariſtoteles quantitatem, in eam, quæ conſtat ex partibus habentibus ſitum inter ſe, & in eam, cuius partes ſitum non habent inter ſe. Vbi notabis, aliud eſſe, conſtare ex partibus habentibus ſitum, aliud conſtare partibus habentibus ſitum inter ſe; illud enim, eſt habere partes exiſtentes in loco, (cùm enim ſitus, ſeu poſitio non ſit aliud, quàm habitudo corporis ad

locum, habere ſitum, ſeu poſitionem, non erit aliud, quàm ſic eſſe in loco, quod numero etiam conuenit, licet eius partes ſint à ſe inuicem diſcretæ:) hoc autem eſt tales habere partes, vt vna, ſit veluti locus alterius, & vna ſit in altera: quemadmodum dicimus digitum eſſe in manu, & manum in brachio: & vnam poſſimus ab alia diſtinguere; quo poſteriori ſenſu, ait Ariſtoteles, lineæ partes habere ſitum, ſeu poſitionem inter ſe. Cæterùm, vt partes quantitatis alicuius habeant inter ſe ſitum, tria ſunt neceſſaria: primum, vt illæ partes ſint alicubi, id eſt, vt notat Albertus Magnus tract. 8. cap. 7. in aliquo ſubiecto: ſecundum, vt illud ſubiectum ſit continuum: tertium, vt partes ſint permanentes: per ſecundam conditionem, excluditur numerus, cuius partes, non ſunt in aliquo ſubiecto continuo: per tertiam excluditur tempus, cuius partes non ſunt permanentes; itaque ſub priori membro huius diuiſionis continentur linea, ſuperficies, corpus, & locus: ſub poſteriori verò, tempus, numerus, & oratio.

Tertia diuiſio eſt in quantum per ſe, cuiuſmodi ſunt ſpecies quantitatis enumeratæ; & in quantum per accidens, vt ſubſtantia, & alia accidentia, quæ dicuntur quanta, per quantitatem, non per ſe. Tres habet proprietates: prima eſt nihil habere contrarium; ſecunda, non ſuſcipere magis & minus; poſſe tamen ſuſcipere maius & minus: tertia, vt ab ea res dicantur æquales, vel inæquales.

De Relatione.

Relatio, eſt ens categoricum, quo res mutuò ad inuicem referuntur, vt pater, & filius; dominus, & ſeruus; ideò hinc excludi debent relationes diui-

næ, quæ non ſunt categoricæ, ſed tranſcendentes, & ſubſiſtentes : vel ſecundùm Ariſtotelem relata, ſunt quorum eſſe, id eſt, natura, eſt ad aliquid aliud quodammodo affici : hoc eſt, quorum tota vis & natura poſita eſt in habitudine ad aliud. Vbi notandum eſt, relata definiri in plurali numero, quia comparatio, & habitudo relatorum non conſiſtit in vno tantùm, ſed in multis : relata verò alia ſunt mutua, quando vtrumque correlatiuum eſt reale, vt dominus & ſeruus : vel vtrumque eſt rationis tantùm, vt ſubiectum & attributum : vel ſunt non mutua, quando vnum relatiuum eſt reale, & alterum rationis tantùm ; vt creator & creatura ; quia relatio creatoris ad creaturam, eſt tantùm rationis, cùm tamen relatio creaturæ ad creatorem ſit realis. Præter hæc, alia dicuntur relata æquiparantiæ, quæ, ſcilicet, habent æquale, & idem nomen ; vt æquale, eſt æquali æquale : ſimile, eſt ſimili ſimile: & diſquiparantiæ, quorum fundamenta ſunt diuerſæ ſpeciei, & diuerſis nominibus nominantur ; vt pater & filius : & hæc quidem iterùm ſubdiuiduntur, vt alia dicantur ſuperpoſitionis, ſeu maioris comparationis : alia verò ſuppoſitionis, ſeu minoris comparationis : relatum ſuperpoſitionis, eſt quod reſpectu ſui correlatiui habet quemdam principatum, vel præeminentiam perfectionis, poteſtatis, & dominij ; vt pater reſpectu filij, dominus reſpectu ſerui : relatiuum verò ſuppoſitionis, eſt, quod reſpectu alterius habet quandam ſubiectionem ; vt filius reſpectu patris ; ſeruus reſpectu domini : rurſus relata diuidi poſſunt, in relata ſecundùm eſſe, & relata ſecundùm dici : illa vocantur, ea, quorum tota na-

tura, & eſſentia poſita eſt in ordine ad aliud. cuiuſmodi ſunt relationes ſimilis, æqualis. Relata verò ſecundùm dici appellantur, quorum relationes potiùs conſiſtunt in conceptione, & dictione noſtra, quàm tales ſint à parte rei. Huius generis ſunt, relationes illæ impropriæ, quæ primò & per ſe ſignificant aliquid abſolutum; cuiuſmodi ſunt relationes tranſcendentales, & relationes rationis. Proprietates relatorum ſunt in relatis eſſe contraria, quæ non per ſe, ſed tantùm per accidens illis conuenit: ſecunda relata, non ſuſcipere magis & minus, quæ nec omnibus, nec ſolis conuenit: ideòque non eſt vera proprietas: tertia, relata inter ſe reciprocari: quarta, relata eſſe ſimul natura: quinta, vt ſi quis certò ac definitè vnum relatorum cognouerit, cognoſcat etiam & alterum: ſexta, vt vnum definiatur per alterum.

De Qualitate.

Qualitas, eſt id quo res ſunt, & dicuntur quales; vt homo eſt albus, doctus. Eſt autem qualitas ex Ariſtotele de genere, τῶν πλεοναχῶς λεγομένων, id eſt, eorum quæ multifariam dicuntur: quæ verba, non ſignificant qualitatem eſſe homonymam, quia ſequeretur qualitatem non eſſe ſummum genus; ſed qualitatem, multas ſub ſe ſpecies continere, quarum vnaquæque duplici nomine exprimitur: prima eſt, ἕξις καὶ διάθεσις, id eſt, habitus & diſpoſitio: intérque Ariſtoteles ſtatuit hoc diſcrimen, quòd habitus ſit diuturnior, diſpoſitio verò facilè mutari poſſit: deinde quòd omnis habitus ſit diſpoſitio, non contrà omnis diſpoſitio ſit habitus. vnde ſic definiri poſſunt, habitus, eſt qualitas quædam, quæ non niſi ægrè dimoueri poteſt

à ſubiecto; vt ſcientia, virtus. Diſpoſitio verò, eſt qualitas quæ facilè amoueri poteſt à ſubiecto; vt ſcientia in mente illius qui pauca, & imperfectè ſcientiæ dogmata tenet, vel, vt dicit Ariſtoteles, calor, frigus. Secunda qualitatis ſpecies Græcè dicitur, φυσικὴ δύναμις, καὶ ἀδυναμία, Latinè naturalis facultas, & imbecillitas: illa eſt facultas naturalis, quâ aliquid ſit aptum ad agendum; vel patiendum, vel reſiſtendum; vt qui facilè reſiſtunt morbis, valentes dicuntur: huc reuocantur omnes facultates intelligendi, videndi: hæc verò, qualitas naturalis, quâ difficulter aliquid agimus, aut reſiſtimus; vt qui difficilè reſiſtunt morbis, valetudinarij appellantur. Tertia patibilis qualitas, & paſſio, quas Græci vocant παθητικαὶ ποιότητες καὶ πάθη, inter quas hoc diſcrimen ſtatui poteſt, quòd qualitas patibilis ſit diuturna, efficiens paſſionem, aut nata ex paſſione; vt dulcedo, amaror, acerbitas, calor, frigus, candor, nigror, quæ à ſenſu externo percipi poſſunt. Paſſio verò, eſt qualitas non diuturna, efficiens paſſionem, aut nata ex paſſione, vt rubor, ex verecundia ortus, pallor, ex timore. Quarta, dicitur forma & figura, Græcè μορφὴ καὶ σχῆμα, illius nomine, intelligitur figura exterior rerum animatarum, & artificioſarum: huius verò nomine, intelliguntur figuræ Mathematicæ; vt circulus, quadrangulus, à quibus res dicuntur circulares & quadrangulares. Tres ab Ariſtotele numerantur qualitatis proprietates: prima eſt, qualitatem habere contraria; vt calor & frigus dicuntur contrariæ qualitates, propriè ſumpto nomine contrarietatis: ſecunda eſt, ſuſcipere intenſionem, & remiſſionem: ſic enim dicimus vnum corpus

eſſe calidius altero : tertia eſt maximè propria, vt à qualitate res ſimiles, vel diſſimiles dicantur.

De Actione.

Actio eſt actus ab agente profectus, à quo, tanquam à forma extrinſeca, agere dicitur, vnde agere non eſt aliquid recipere, ſed efficere, & communicare ; vt calefactio eſt actio à qua ignis denominatur calefaciens Eſt autem duplex actio, immanens, quæ recipitur in principio à quo fluit ; vt intellectio in intellectu, volitio in voluntate, viſio in facultate videndi : & tranſiens, quæ recipitur in re diuerſa ab ea, à qua proficiſcitur ; vt calefactio in re calefacta:diuiditur etiam in inſtantaneam actionem, quæ fit in inſtanti, vt illuminatio : & ſucceſſiuam, quæ fit in tempore ; vt calefactio, frigefactio.

De Paſſione.

Paſſio actioni oppoſita, eſt ens categoricum, quo res aliqua dicitur pati ; vt calefieri, frigefieri, recipitur autem paſſio ab agente in ſubiecto quod patitur.

De Vbi.

Vbi, eſt eſſe in loco, & reſpondetur ad quæſtionem factam per vbi ; vt ruri, in vrbe, in aula : eſt autem duplex vbi, proprium, quando res eſt tantùm in eo loco quem occupat ; & commune, quando eſt in latiori ſpatio ; vt cùm homo dicitur eſſe in vrbe. Præptereà aliud eſt vbi, nempe, circumſcriptiuum, quando res eſt ita in loco, vt pars eius ſit in parte loci, & tota ſit in toto loco, à quo circunſcribitur : ſic corpus dicitur eſſe circunſcriptiuè in loco: eſt & vbi definitiuum,quando res eſt tota in aliquo loco, & tota in quálibet parte loci,

nec in alio naturaliter eſſe poteſt; vt angeli. ſunt autem ſex differentiæ ipſius vbi, ſupra, infra, dextrum, ſiniſtrum, ante, & pone.

De Quando.

Quando, eſt eſſe, vel menſurari à tempore, ſeu eſt modus quidam ſe ſe habendi rei temporalis ad tempus, vt quod Chriſtus Dominus natus ſit ſub Auguſto, & Alexander viuente Ariſtotele. differentiæ quando, ſunt, tempus præteritum, præſens, & futurum, dies, hora, menſis, annus, ſæculum.

De Situ.

Situs, eſt ordo partium corporis locati ad partes loci; vt ſtare, ſedere, iacere; huc reuocari poſſunt ſex poſitionum differentiæ ipſius vbi.

De Habere.

Habere, eſt aliquid extrinſecus adiacens rei; vt eſſe veſtitum, togatum, armatum. Ex quibus decem rerum omnium claſſibus petuntur termini, ex quibus omnis conſtat conficitúrque definitio, quæ eſt primæ actionis mentis, atque enunciatio, quæ eſt ſecundæ. De qua in ſequentibus.

INTERVALLVM IV.

De enunciatione, nomine, & verbo.

ENVNCIATIO, eſt oratio ſignificans verum, vel falſum. Et quia illud ſignificat per modum aſſertionis, ſignificando rem eſſe, vel non eſſe, ideò conſtare debet verbo indicatiui modi: cæteri enim modi ſolas animæ affectiones, non

autem verum, vel falſum, declarant.

Propoſitionis, ſeu enunciationis partes ſunt tres, ſubiectum, prædicatum, & copula. ſubiectum, eſt prima vox, ſeu terminus categorematicus propoſitionis, cui aliquid ineſſe dicitur, & prædicato ſubiicitur. Prædicatum, vel attributum, eſt ille terminus propoſitionis, qui alteri ineſſe dicitur, quíque de ſubiecto enunciatur. Copula tandem, ſeu verbum ſignificat vnionem, vel ſeparationem attributi, & ſubiecti. Cæterùm quia ſubiectum, & prædicatum ſunt nomina, copula verò eſt verbum, idcirco paucis de vtroque hîc agendum.

Nomen definitur à Dialecticis, vox ſignificans ad placitum, ſine tempore, finita, & recta, cuius nulla pars ſeparata ſignificat. In qua definitione, vox, ponitur loco generis; cætera, loco differentiæ & primò particula, ſignificans, excludit voces nihil ſignificantes, ad placitum, excludit voces naturaliter ſignificantes, ſine tempore, ad differentiam verbi, quod ſignificat cum tempore, id eſt, aliquid alicui conuenire, vt actionem aliquam exerceri in tempore, vt cùm dico Petrus ſcribit, nomen enim id non ſignificat; licet poſſit ſignificare tempus, vt dies, menſis, hora. Finita, excludit voces infinitas, vt non homo; recta, excludit caſus obliquos, qui apud Dialecticos non cenſentur nomina; cuius nulla pars ſeparata ſignificat, hac particula ſecernitur nomen ab oratione, cuius partes ſeparatæ idem ſignificant, quod coniunctæ; Nominis autem partes ſeiunctæ aut nihil ſignificant, vt ho, & mo; aut certè non idem quod in ipſo toto; vt ſus, pira, mus; & do &, minus.

Verbum, eſt vox ſignificans ex inſtituto, recta,

& finita, conſignificans tempus, cuius pars ſeparata nihil ſignificat, & eſt ſemper eorum quæ de altero dicuntur nota. cuius definitionis partes omnes, excepta vltima, patent ex definitione nominis, per vltimam autem, ſecernitur verbum à participiis, quæ ſuam ſignificationem nulli ſubiecto propriè attribuunt.

Generales enunciationis affectiones, nouem præcipuæ vulgò numerari ſolent: Quantitas, qualitas, ſuppoſitio, ſtatus, ampliatio, reſtrictio, diminutio, alienatio, & appellatio: ſed quia ſeptem poſtremæ, magnam habent affinitatem cum captionibus Sophiſtarum, qui in illis maximè peccant, illis eò reiectis, duas primas ſolùm explicabimus hoc loco. Quantitas ergò propoſitionis, eſt extenſio, aut vnitas numeralis earum rerum, pro quibus ſubiectum ſub prædicato accipitur: interdum enim accipitur, pro vno tantùm; vt hic homo eſt iuſtus, Socrates eſt Philoſophus, Chriſtus eſt Deus: aliquando pro multis, idque duobus modis; vt omnis homo eſt ſubſtantia, aliquis homo eſt Deo gratus. Qualitas autem propoſitionis, eſt duplex, ſcilicet, affirmatio, & negatio: deinde veritas, & falſitas. Affirmatio, eſt cùm verbum perſonale affirmatur; vt Petrus diſputat. Negatiua propoſitio, eſt in qua verbum perſonale negatur, vt Scholaſticus non ſtudet; vel quando ſignum negationis præponitur ſubiecto; vt nullus peccator eſt gratus Deo. Propoſitio vera affirmans, eſt ea in qua aſſeritur aliquid ineſſe alteri, quod verè ei ineſt; vt Deus eſt iuſtus. Vera propoſitio negans, eſt ea in qua negatur ineſſe aliquid alteri, quod re ipſa non ineſt; vt arbor non eſt lapis. Falſa propo-

ſitio contra, nam falſa affirmans, eſt qua attribuimus aliquid alteri, quod reuera ei non conuenit, vt Deus eſt acceptator perſonarum. Falſa item negans, qua aliquid negatur alteri, quod tamen re ipſa illi conuenit; vt ſi dicas, Deus res humanas non curat.

Areola enuntiativa.

Variæ Enunciationis Diuiſiones, & proprietates.

Enunciatio variè à variis diuiditur, ſed hæ nouem ſequentes diuiſiones ſunt præcipuæ; quarum quinque petuntur ex materia, tres ex forma, vltima ex fine ipſius enunciationis. Prima ergo diuiſio enunciationis eſt in ſimplicem, & coniunctam: ſimplex, eſt cuius extrema ſunt ſimplicia; vt Petrus eſt Philoſophus: coniuncta, quæ à quibuſdam hypothetica dicitur, eſt quæ ex pluribus ſimplicibus aliqua coniunctione copulatis, conſtat; vt peripateticus ambulat, & diſputat.

Secunda diuiſio, eſt in neceſſariam, contingentem, ſeu poſſibilem, & impoſſibilem, ſeu repugnantem. Neceſſaria, eſt cuius attributum neceſſariam & immutabilem habet coniunctionem cum ſubiecto; vt homo eſt animal, homo eſt riſibilis. Contingens, eſt in qua attributum accidentario conuenit ſubiecto, à quo, ſcilicet, poteſt abeſſe, & adeſſe; vt Petrus eſt iuſtus. Impoſſibilis, dicitur, cuius attributum non poteſt conuenire ſubiecto; vt arbor eſt lapis.

Tertia eſt in finitam, & infinitam: illa dicitur cuius extrema ſunt finita; vt homo eſt iuſtus: hæc cuius alterum extremum eſt infinitum; vt non homo eſt iuſtus.

Quarta in vniuerſalem, particularem, indefinitam, & ſingularem. Vniuerſalis, eſt cuius ſubiectum eſt vniuerſale, & vniuerſali ſigno notatum: ſunt autem duo ſigna vniuerſalia, omnis, affirmando, &, nullus, negando; vt omnis arbor eſt corpus, nulla arbor eſt lapis. Particularis, eſt cuius ſubiectum eſt vniuerſale, ſed notatum ſigno particulari, cuiuſmodi ſunt quidam, & aliquis; vt quidam homo eſt iuſtus. Indefinita, vocatur cuius ſubiectum eſt vniuerſale, ſed nullo ſigno notatur; vt homo eſt viuens; hæ autem indefinitæ propoſitiones in materia neceſſaria vel impoſſibili æquiualent vniuerſalibus; vt homo eſt animal, idem valet ac omnis homo eſt animal: ſic homo non eſt lapis, idem valet ac nullus homo eſt lapis: at in materia contingenti, cenſentur particulares; vt homo eſt albus, idem valet, ac quidam homo eſt albus: Singularis tandem propoſitio dicitur cuius ſubiectum eſt ſingulare, & pro vna re ſingulari tantùm accipitur; vt Petrus eſt Philoſophus.

Quinta diuiſio, in propoſitionem directam, & indirectam: illa eſt, in qua ſeruatur naturalis ordo eius quod ſubiici, & prædicari debet; vt homo eſt animal. Indirecta contra, quando id, quod ſecundùm naturalẽ ordinem ſubiici deberet, eſt attributum, & viceuerſa; vnde vocantur naturalis, & impropria, ſiue non naturalis: debent autem, naturali ordine, ſuperiora de inferioribus prædicari; vt equus eſt animal, & accidentia de ſubiectis; vt paries eſt candidus: denique, id omne, quod ſe habet per modum formæ, & conſtitutiui; vt homo eſt materialis, homo eſt rationalis.

Sexta in enunciationem de ſecundo adiacente,

& de tertio adiacente: illa vocatur, in qua prædicatum includitur in copula; vt Deus eſt; vel includitur in verbo quouis alio; vt Petrus diſputat: hæc verò, in qua poſt verbum ſequitur aliquod aliud attributum; vt Deus eſt iuſtus.

Septima in affirmantem, & negantem, de quibus antea.

Octaua in abſolutam, & modificatam. Abſoluta propoſitio Græcis vocatur, περὶ τοῦ ὑπάρχειν de ineſſe, quæ, ſcilicet, abſolutè ſignificat aliquid ineſſe, aut non ineſſe alicui, nec modum quo inſit inſinuat; vt omnis homo eſt animal, nullus homo eſt lapis. Modificata contra, quæ quo modo attributum inſit ſubiecto declarat, id eſt, an neceſſariò, an contingenter, an impoſſibiliter; vt neceſſe eſt hominem eſſe animal, contingens eſt hominem eſſe album, impoſſibile eſt hominem eſſe lapidem.

Nona quæ petitur ex fine enunciationis, qui eſt ſignificare res ipſas, in veram, & falſam, ſi enim enunciatio ſignificet res ipſas vt ſunt, erit vera, ſi aliter quàm ſunt, erit falſa.

Quæ omnes diuiſiones, ad tertia capita commodè reuocari poſſunt, nempe, ad enunciationes abſolutas, modificatas, & coniunctas. Omnis enim enunciatio, vel eſt ſimplex, vel coniuncta; ſi ſimplex, vel eſt abſoluta, vel modificata, quamobrem de his ſingulis ſigillatim dicendum. Et cùm ex præcedentibus, compertum ſit, quid ſint enunciationes abſolutæ, ſeu de ineſſe; de his, hoc loco, reſtant explicandæ tres earum proprietates, ſcilicet, oppoſitio, conuerſio, & æquipolentia.

De Oppoſitione.

Oppoſitio, eſt affirmatio & negatio, eiuſdem attributi de eodem ſubiecto, non homonymè, ad idem, ſecundum idem, eodem modo, eodem tempore, & eodem loco. In qua definitione, ſunt multæ partes quibus oppoſitionis natura declaratur: prima ergo, affirmatio & negatio, indicat propoſitiones oppoſitas, debere eſſe affirmantes & negantes, vnde hinc reiiciuntur ſubalternæ propoſitiones, quaſi non propriè oppoſitæ, quoniam vel ambæ ſunt affirmantes, vel negantes; vt omnis homo eſt iuſtus, quidam homo eſt iuſtus: & nullus homo eſt iuſtus, quidam homo non eſt iuſtus. Ex hac etiam particula, colligitur oppoſitionem propriam eſſe tantùm inter duas propoſitiones. Secunda eiuſdem attributi de eodem ſubiecto, præcipit, vt in vtraque propoſitione ſit idem ſubiectum, & idem attributum; hinc enim hæ propoſitiones, Æthiops eſt niger, & Polonus non eſt niger; & ſapiens contemplatur, ſapiens non mentitur; non dicuntur opponi. Tertia non homonymè, cauetur ne ſubiectum, aut attributum ſumantur homonymè. Hinc Cato ſe occidit, Cato non ſe occidit, non opponuntur, ſi ſubiectum ſumatur homonymè, id eſt, intelligatur de Vticenſi, & Cenſorio. Quarta ad idem, ſtatuitur, vt ſubiectum & attributum ad idem referantur, alioquin ſi dicas, ſenarius eſt duplus, & ſenarius non eſt duplus, non erunt oppoſitæ propoſitiones, ſi in altera, ſenarius ad quaternarium, in altera, ad ternarium referatur. Quinta ſecundùm idem, vel eandem partem, quia alioqui, Æthiops eſt niger, & Æthiops non eſt niger, non op-

ponuntur, ſi altera propoſitio de vultu, altera de dentibus, intelligatur. Sexta eodem modo, requiritur, vt enunciationes oppoſitæ fiant eodem modo; defectu cuius conditionis, hæ duæ enunciationes non ſunt oppoſitæ, diſcipuli ſcribunt, diſcipuli non ſcribunt, celeriter, nimirum, & tardè. Septima eodem tempore, tempus idem ſignificari debere præcipitur, vnde ſi dicas, manè legam, & manè non legam, comparatione diuerſorum dierum, non eiuſdem, nulla erit oppoſitio. Octaua eodem loco, requiritur idem locus, alioqui, pluit, & non pluit, ſi diuerſa loca intelligas, non erunt oppoſita.

Quatuor autem ſunt oppoſitarum enunciationum ſpecies; contrariæ, ſubcontrariæ, contradicentes, & ſubalternæ; quæ omnes an ſint propriè oppoſitæ aliàs examinabitur: ſunt autem contrariæ propoſitiones, duæ vniuerſales, quarum vna eſt affirmans, & altera negans; vt omnis homo eſt iuſtus; nullus homo eſt iuſtus: ſubcontrariæ, ſunt duæ enunciationes particulares, quarum vna affirmat, & altera negat; vt quidam homo eſt iuſtus; quidam homo non eſt iuſtus: Contradicentes, ſunt duæ propoſitiones, quarum vna eſt vniuerſalis affirmans, & altera particularis negans, vt omnis homo eſt iuſtus; quidam homo non eſt iuſtus; vel è contra, vna vniuerſalis negans, & altera particularis affirmans; vt nullus homo eſt iuſtus; quidam homo eſt iuſtus; vel tandem duæ propoſitiones ſingulares, quarum vna eſt affirmans, & altera negans; vt Petrus eſt Philoſophus, & Petrus non eſt Philoſophus; ſed hæ ſingulares non pertinent ad ſcientias: Subalternæ demum ſunt duæ enuncia-

tiones,

tiones, ambæ affirmantes, vel ambæ negantes, quarum vna eſt vniuerſalis, altera particularis; vt omnis homo eſt iuſtus, quidam homo eſt iuſtus; & nullus homo eſt iuſtus, & quidam homo non eſt iuſtus.

Sed reſtant quædam regulæ tradendæ de oppoſitione propoſitionum, ad quarum explicationem, repetendum eſt, quod ex parte ſuprà docuimus, triplicem eſſe materiam enunciationum. Primam naturalem, ſeu neceſſariam, quando prædicatum attribuitur ſubiecto eſſentialiter; vt genus & differentia ſpeciei: vel quando attribuitur neceſſariò tantùm, licet non eſſentialiter; vt proprietas. Secundam impoſſibilem, ſeu repugnantem, vel remotam, quando prædicatum ſubiecto non conuenit, nec conuenire poteſt. Tertiam contingentem, quando attributũ adeſſe poteſt ſubiecto, & abeſſe, quæ materia non eſt aliud, quàm habitudo quædam attributi ad ſubiectum; quibus præmiſſis, ſingulis ſpeciebus ſingulæ regulæ aſſignandæ ſunt. Prima eſt, contrariæ propoſitiones in nulla materia poſſunt ſimul eſſe veræ, licet in materia cõtingenti falſæ eſſe queant; vt omnis homo eſt iuſtus, nullus homo eſt iuſtus. Secunda ſubcontrariæ ſimul falſæ eſſe non poſſunt, at in materia contingenti ſunt ſimul veræ; vt quidam homo eſt iuſtus, quidam homo non eſt iuſtus. Tertia contradicentes in nulla materia ſimul veræ vel ſimul falſæ eſſe poſſunt, ſed ex veritate vnius, alterius falſitas, & ex falſitate vnius, alterius veritas sẽper rectè colligitur; omnis homo eſt iuſtus, quidam homo non eſt iuſtus: vel nullus homo eſt iuſtus, quidam homo eſt iuſtus. Quarta in ſubalternis, ſi vniuerſalis

E

ſit vera, erit etiam particularis vera, licet non contra; & ſi particularis ſit falſa, vniuerſalis quoque erit falſa: ex quibus conficitur, enunciationes contrarias pugnare in veritate: ſubcontrarias in falſitate: Contradicentes vtroque modo: & ſubalternas neutro modo, vt patet ex hoc ſchemate.

Contrariæ.
Omnis homo eſt iuſtus.
Nullus homo eſt iuſtus.

Subalternæ. Contradictoriæ. Contradictoriæ. Subalternæ.

Quidam homo eſt iuſtus.
Quidã homo nõ eſt iuſtus.
Subcontrariæ.

De Conuerſione.

Quod attinet ad ſecundam proprietatem enunciationum abſolutarum, nempe, conuerſionem, quam Ariſtoteles vocat ἀντιςροφὴν, tria dicenda occurrunt, quid ſit, quotuplex, & quæ regulæ ſint in ea ſeruandæ.

Conuerſio igitur propoſitionis eſt, commutatio, vel tranſpoſitio extremorũ, ita vt, quod eſt ſubiectum fiat attributum, & quod eſt attributum fiat ſubiectum, retenta, vel mutata quantitate, ſed ſeruata qualitate, ſic nullus homo eſt lapis, nullus

Digitized by Google

lapis eſt homo. Notandum autem eſt, priorem enunciationem, cuius extrema commutantur, dici conuerſam, quæ verò fit ex commutatis terminis, dicitur conuertens. Seruare qualitatem, hoc loco, eſt efficere conuertentem affirmantem, ex conuerſa affirmante, & negantem, ex negante, & ex conuerſa vera, veram conuertentem.

Triplex eſt conuerſio. Prima, Græcis ἀκολουθεῖν ἐπὶ ταυτά. Ariſtoteli ἀντιστροφὴ τοῖς ὅροις, vel καθόλου, ſimplex ſeu in toto. Secunda, Ariſtoteli ἀντιστροφὴ ἐν μέρει, per accidens, ſeu in parte. Tertia, Græcis ἀντιστροφὴ κατ' ἀντίθεσιν, per contrapoſitionem: Conuerſio ſimplex, eſt ea, in qua permutantur extrema, ſeruata omnino quantitate; & qualitate propoſitionis; quomodo conuertuntur propoſitio vniuerſalis negans, & particularis affirmans; vt nullum animal eſt lapis, nullus lapis eſt animal: item quidam homo eſt animal, quoddam animal eſt homo: vniuerſalis autem affirmans, & particularis negans non poſſunt ita reciprocari; non enim valet, omnis homo eſt animal; igitur omne animal eſt homo; nec item, quoddam animal non eſt homo; ergo quidam homo non eſt animal. Cónuerſio per accidens, ſeu in parte, eſt in qua permutantur extrema, ſeruata quidem qualitate, ſed mutata quantitate; quomodo vniuerſalis affirmans conuertitur in particularem affirmantem; vt omnis homo eſt animal, quoddam animal eſt homo. Conuerſio per contrapoſitionem, dicitur, in qua ſeruata eadem quantitate & qualitate, extrema fiunt infinita ex finitis additione negationum; vt omnis homo eſt animal, quidquid eſt non animal eſt nō homo; ſic conuertuntur vniuerſalis affirmans, & par-

ticularis negans, ſed hæc perobſcura eſt, nec magni vſus. Quæ omnia hoc diſticho comprehenduntur.

Simpliciter, feci, conuertitur; Eua, per acci;
Aſt, ô, per contra; ſic fit conuerſio tota.

in quo quatuor illæ voces, feci, Eua, aſt, & ô, continens 4. vocales, quarum, A, ſignificat vniuerſalem affirmantem, E, vniuerſalem negantem, I, particularem affirmantem, O, particularem negantem; vt ſignificatur ſequenti diſticho.

Aſſerit, a, negat, e, ſunt vniuerſaliter ambæ:
Aſſerit, i, negat, o, ſunt particulariter ambæ.

Porrò aduertendum eſt, quaſdam propoſitiones duabus conuerſionibus conuerti poſſe, nam, e, conuertitur conuerſione ſimplici, & conuerſione per accidens; a, conuerſione per accidens & per contrapoſitionem; o, denique ſolùm per contrapoſitionem. Notandum etiam eſt, quæ dicta ſunt de conuerſione propoſitionum, intelligi debere, de iis quæ conſtant ex terminis vniuerſalibus, vel particularibus; nam ſi ex ſingularibus, ſunt aliæ regulæ, vt paulò pòſt dicemus.

Colliguntur ex Ariſtotele lib. 1. de priori analyſi cap. 2. nonnulla præcepta. Primum eſt, propoſitio vniuerſalis negans conuertitur ſimpliciter; vt nullum animal eſt lapis, nullus lapis eſt animal. Secundum propoſitio vniuerſalis affirmans conuertitur per accidens, ſeruata, ſcilicet, qualitate, & mutata quantitate; vt omne animal eſt ſubſtantia, quædam ſubſtantia eſt animal. Notabis tamen in terminis reciprocis propoſitionem vniuerſalem ſimpliciter conuerti; vt omnis homo eſt riſibilis; igitur omne riſibile eſt homo. Tertium particularis affirmans conuertitur ſimpliciter; vt quidam

homo eſt animal, quoddam animal eſt homo. Quartum particularis negans non conuertitur, quia ex antecedente vero, falſum conſequens inferretur; vt quoddam animal non eſt homo, ergo quidam homo non eſt animal: niſi vniuerſalis negans vera fuerit, tunc enim eius particularis negans conuerti poterit; vt quia hæc vniuerſalis negans, nullus homo eſt lapis, vera eſt, eius quoq; particularis negãs cõuerti poteſt; vt aliquis homo non eſt lapis, igitur, aliquis lapis non eſt homo. Cæterùm in omni conuerſione duo ſunt diligenter obſeruanda. Primum vt extrema, in vtraque propoſitione, eodem modo ſumantur, & in eodem caſu; quare hæc propoſitio, nulla ſubſtantia eſt in accidente, ſic eſt conuertenda, nihil exiſtens in accidente eſt ſubſtantia. Alterum, vt idem extremorum terminorum tempus ſeruetur, defectu cuius conditionis, non valet hæc conuerſio; nullus puer fuit ſenex, igitur, nullus ſenex fuit puer; nam puer in priore, ad tempus præſens refertur, in poſteriore verò, ad præteritum: ſic autem rectè fiet, nullus puer fuit ſenex; igitur nullus qui fuit ſenex eſt puer. Et hæ quidem ſunt regulæ conuerſionis propoſitionum vniuerſalium, vel particularium. Ad ſingulares autem conuertendas, valent hæ duæ regulæ; prior, ſi propoſitio conſtet ex vtroque termino ſingulari, conuertenda eſt ſimpliciter; vt Socrates eſt hic philoſophus; igitur hic philoſophus Socrates: Petrus non eſt Paulus; igitur, Paulus non eſt Petrus. Poſterior regula, propoſitiones conſtantes ſubiecto communi, & prædicato ſingulari, vniuerſales mutantur in particulares; vt omnis philoſophus eſt Ariſtoteles; igitur Ariſtoteles

eſt philoſophus : nullus faber eſt Plato ; igitur Plato non eſt faber.

De Æquipollentia.

Tertia proprietas enunciationũ abſolutarũ, quæ Græcis dicitur ἰσοδυναμία, Latinè æquipollẽtia, vel æquiualentia definitur, conſenſus oppoſitarũ enũciationũ, qui fit, vel quia præponitur tantùm negatio, vel quia ſubiungitur tantùm, vel quia præponitur & ſubiungitur ſimul: quæ perſpicua fient, ex tribus regulis, quę tradi ſolent de æquipollentia. Prima eſt, duæ contrariæ propoſitiones idem valebunt, ſi alterutrius ſubiecto ſubiungatur negatio; vt omnis homo eſt iuſtus, nullus homo eſt iuſtus, duæ ſunt contrariæ, quod ſi vtrilibet negationem addideris; vt omnis homo non eſt iuſtus, æquipollebit iſti, nullus homo eſt iuſtus: vel nullus homo non eſt iuſtus æquipollebit iſti, omnis homo eſt iuſtus. Secunda in contradicentibus, quæ æquipollebunt ſi alterutrius ſubiecto præponatur negatio; vt omnis homo eſt albus, & quidam homo non eſt albus, contradicentes ſunt, quod ſi principio prioris negationem præfigas; vt non omnis homo eſt albus, æquipollebit alteri, quidam homo non eſt albus; vel contra, ſi præfigas alteri; vt non quidam homo non eſt albus, idem valebit, ac iſta, omnis homo eſt albus. Tertia eſt in ſubalternis, quæ idem valebunt, ſi alterutrius ſubiecto præfixeris, & ſubieceris negationem; vt ſubalternę ſunt, omnis homo eſt iuſtus, quidam homo eſt iuſtus; ſi autem in priori, ſic dicas, non omnis homo non eſt iuſtus, æquipollebit poſteriori, quidam homo eſt iuſtus; ſi contra in poſteriore, ſic dicas, non quidam homo non eſt iuſtus, æquipollebit iſti

omnis homo eſt iuſtus: quas omnes regulas dialectici comprehendunt hoc verſiculo,

Præ contra dic, poſt contra, præ póſtque ſubalter. Cuius hic eſt ſenſus, præpoſita negatio efficit, vt contradictoriæ idem valeant; poſtpoſita verò, vt contrariæ; præpoſita denique, ac poſtpoſita, vt ſubalternæ. Porrò hîc nihil de ſubcontrariis, quia tollenda eſt tantùm negatio, vel addenda in earum altera. Nonnulli duas alias regulas addunt; prior eſt, vniuerſalis enunciatio æquipollet aggregationi omnium ſuarum ſingularium; vt hæc propoſitio, omnis homo eſt animal, huic orationi; hic homo eſt animal, & hic homo eſt animal, & ita de cæteris. Poſterior, particularis enunciatio æquipollet diſiunctioni omnium ſuarum ſingularium; vt hæc, aliquis homo eſt iuſtus, huic orationi, hic homo eſt iuſtus, aut hic homo eſt iuſtus, & ſic de cæteris. Porrò æquipollentia bifariam ſpectari ſolet, vel vt apud Grammaticos refertur, vel vt dialecticis eſt in vſu; at poſteriori modo iam explicata eſt: Grammatici verò, in ſynonymis extremorum, totam eam ponunt, quomodo dicimus huius generis orationes, vado Lutetiam, contendo in vrbem, eundem habere ſenſum, quod Lutetia, & vrbs eandem hoc loco ſignificationem habeant.

De Modalibus Propoſitionibus.

Quod autem difficultates de propoſitionibus abſolutis explicatæ ſunt, tot de modificatis reſtant explicandæ. Ac primo quidem loco, diximus ſuprà propoſitionem modificatam, ſeu modalem eſſe eam, quæ non tantùm ſignificat aliquid ſimpliciter ineſſe, aut non ineſſe, ſed etiam exprimit modum quo aliquid conuenit alteri, vel non conue-

nit. De quo genere propoſitionis multa ſcripſit Ariſtoteles, lib. de Interpret. cap. 3. cùm autem multiplex ſit modus, alius enim modificat, & determinat ſubiectum etiam ſeorſim ſumptum; vt homo tardus ambulat, vbi hæc dictio, tardus, eſt modus reſpectu ſubiecti, homo; alius modificat, ſeu determinat prædicatum; vt Petrus eſt homo iuſtus, nam, iuſtus, determinat prædicatum, quod eſt, homo; alius determinat tempus conſignificatum per copulam; vt hodie ſtudui; alius determinat integram propoſitionem, quantum ad ordinem conformitatis, aut difformitatis, id eſt, quantum ad veritatem, & falſitatem: nam veritas, eſt conformitas dicti ad rem dictam, vt verum eſt hominem eſſe animal; falſum eſt hominem eſſe lapidem. Qui modi, licet proximè accedant ad eos quibus conſtituuntur propoſitiones modales, non ſpectant tamen ad rem præſentem, nec vſurpantur communiter à Dialecticis, pro modis enunciationis. Hîc ergo ſumimus modum, pro voce ſignificatiua, quæ enunciationis compoſitionem, ratione materiæ, determinat; vt in hac enunciatione, neceſſe eſt omnem hominem eſſe riſibilem, hæc vox, neceſſe, non modò riſibilitatem indicat ineſſe homini, vel conuenire; ſed etiam oſtendit modum quendam iſtius inhærentiæ, & conuenientiæ: vnde iuxta triplicem materiam enunciationis, triplex eſt modus; ſcilicet, neceſſarium, contingens, ſeu poſſibile, & impoſſibile. Vbi notabis, contingens & poſſibile, re ipſa & ſignificatione idem eſſe, & voce ſolùm differre, quam ob cauſam, nonnulli dicunt voce tenus 4. eſſe modos propoſitionum modificatarũ, re ipſa autem tres ſolùm numeratos.

Placet Dialecticis, in propoſitione modali duas eſſe partes, quarum altera vocatur, DICTVM, nempe, tota propoſitio, excepto modo: altera, MODVS, vt in hac propoſitione, neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal, neceſſe, eſt modus, dictum verò, omnem, hominem eſſe animal. Vſurpatur autem modus bifariam, vel inſtar nominis, vt patet in exemplo allato, vel aduerbialiter; vt Petrus contingenter currit: quia verò hæ eædem affectiones, quæ attributæ ſunt enunciationibus abſolutis, conueniunt etiam modificatis, ſed paulò aliter, de illis ſigillatim agendum eſt.

Itaque de quantitate, qualitate, & oppoſitione propoſitionum modificatarum ratione modi; obſeruandum eſt, duos illos modos, neceſſe, & impoſſibile, eſſe vniuerſales, illum quidem affirmantem, ſimilem iſti ſigno omnis; hunc verò negantem, vt eſt, nullum: ſic contingens, eſt modus particularis affirmans, vt quidam, vel aliquis; & contingens non, particularis negans, vt aliquis non: ex quibus facile eſt cognoſcere, qui modus cuilibet alteri modo ſit oppoſitus, & quâ ſpecie oppoſitionis: nam neceſſe & impoſſibile opponuntur contrariè, neceſſe & contingens non, vel poſſibile non contradictoriè, eodem modo opponuntur impoſſibile & poſſibile, vel contingens; at neceſſe & poſſibile ſunt modi ſubalterni, ſicut etiam impoſſibile & poſſibile non; tandem poſſibile & poſſibile non, opponuntur ſubcontrariè: idque ſtatuendum eſt de propoſitionibus, quæ ex illis modis conſtant, quæque pro varietate illorum modorum inter ſe opponuntur: ſuntque eædem leges oppoſitionis modificatarum, & abſolutarum pro-

poſitionum. Notabis autem, quantitatem modificatarum propoſitionum bifariàm ſumi poſſe: primò ex parte modi, vt propoſitio ſit vniuerſalis, vel particularis, quæ talem habet modum, vt antè declaratum eſt: ſecundò, ex parte dicti, ita vt propoſitio vniuerſalis, particularis, indefinita, vel ſingularis dicatur, quæ dictum habet huiuſmodi. Itaque poteſt aliquando vna eadémque propoſitio eſſe vniuerſalis, & particularis ratione diuerſorum; verbi causâ, hæc propoſitio, poſſibile eſt omnem hominem currere, ex parte dicti, eſt vniuerſalis, & ex parte modi, particularis: quæ licet vera ſint; obſeruandum tamen eſt, in oppoſitione & æquipollentia huiuſmodi propoſitionum, quantitatem peti debere, ex parte modi, vt propoſitio modificata, quæ habet modum vniuerſalem, dicenda ſit vniuerſalis, licet habeat dictum ſingulare; vt neceſſe eſt Petrum docere, vniuerſalis eſt, quia habet modum vniuerſalem: in conuerſione verò earumdem, ſpectatur quantitas ex parte dicti; quare de conuerſione modificatarum propoſitionum, nihil aliud occurrit in præſentia, præter ea, quæ his, cum abſolutis communia ſunt.

Vt earumdem æquipollentiam explicemus, reuocandum eſt in memoriam quę ſuperiùs diximus, ſcilicet, quando negatio cadit ſuper modum, mutat quantitatem & qualitatem; quando verò poſtponitur, ſolam qualitatem: tunc autem poſtponi verè cenſetur, quando coniungitur copulæ dicti, alioqui potiùs, virtute ſaltem, præponitur; verbi cauſa, poſſibile non eſt hominem eſſe iuſtum, idem eſt, atque, non eſt poſſibile hominem eſſe iuſtum, quia negatio non fuit iuncta copulæ dicti,

quod erat, eſſe, vnde, perinde eſt, ac ſi diceres, impoſſibile eſt hominem eſſe iuſtum. verùm hæc propoſitio, poſſibile eſt hominem non eſſe iuſtum, eſt particularis negans, quia negatio coniungitur copulæ dicti, & mutat ſolam qualitatem modi; ſit ergo hoc exemplum. Non neceſſe eſt hominem eſſe iuſtum, æquiualet huic, poſſibile eſt hominem non eſſe iuſtum, quia negatio, cadens ſupra modum vniuerſalem affirmantem, facit eum particularem negantem: item, non impoſſibile eſt hominem non eſſe iuſtum, æquiualet huic, poſſibile eſt hominem non eſſe iuſtum; quia, impoſſibile non, ſignificat idem ac neceſſe, propter negationem ſequentem quæ mutat qualitatem. Itaque ſi propoſitiones contrarias modales velis efficere æquipollentes, præpone negationem copulæ: ſi contradictorias, præpone initio dictionis: ſi ſubalternas, præpone & poſtpone negationem, vt antè dictum eſt in abſolutis, & patebit exemplis ſequentibus in hoc ſchemate contentis.

De Propoſitionibus hypotheticis.

Sequitur, vt agamus de propoſitionibus hypotheticis., ſeu complexis. Enunciatio hypothetica, quatenus in genere & latè ſumitur pro coniuncta, ſeu complexa, eſt ea quæ conſtat ex multis ſimplicibus aliquo vinculo iunctis, vel aptè inter ſe cohærentibus: cuius ſpecies præcipuæ octo numerantur, quæ & nomen & definitionem ſumunt ex ipſa coniunctione, quæ earum partes copulat: prima eſt hypothetica, ſeu conditionalis; vt ſi Sol lucet, dies eſt: ſecunda cauſalis, quæ reddit cauſam; vt ignis ſurſùm tendit, quia leuis eſt; homines damnantur, quia mali ſunt: tertia rationalis, cuius partes vinciuntur rationali coniunctione; vt homo eſt animal, ergo corpus: quarta copulata, cuius partes cohærent copulatiuâ coniunctione; vt vt Deus eſt iuſtus, & miſericors: quinta diſiuncta, cuius partes diſiunctione iunctæ ſunt; vt animal, vel eſt homo, vel eſt brutum: ſexta localis, in qua eſt aduerbium loci; vt vbi eſt homo, ibi eſt animal: ſeptima temporis, quæ continet aduerbium temporis; vt quando pluit, madeſit terra: quando interpoſita eſt terra inter Solem & Lunam, fit eclypſis: octaua, analogiæ, ſeu ſimilitudinis, in qua vtimur ſimilitudinis aduerbio; vt ſic ſe habet mens ad animam, ſicut oculus ad corpus. quas octo ſpecies, nonnulli reuocant ad tres generales ſpecies, ſcilicet, conditionalē, copulatiuam, & diſiunctiuam. Notandum eſt autem primò tres ex ſupradictis, ſcilicet, rationalem, conditionalem, & cauſalem eſſe quaſi argumentationes, quia in his vna propoſitio ſimplex infertur ex altera: dixi, quaſi argumentationes, non tamen propriè;

nam differunt ab argumentatione, quòd hæc non poſſit eſſe pars argumentationis, at propoſitio hypothetica poſſit. Obſeruandum ſecundò, quantitatem coniunctarum propoſitionum deſumi ex quantitate ſimplicium ex quibus componuntur, quia in hypotheticis non eſt aliud ſubiectum & prædicatum, ab iis quæ ſunt in ſimplicibus; vnde ſi ſubiectum afficiatur ſigno, omnis, propoſitio erit vniuerſalis, & ſic de cæteris: ſi ſine ſigno, erit indefinita. Aduertendum tertiò, qualitatem in his propoſitionibus, vt in præcedentibus abſolutis & modificatis, eſſe duplicem, ſcilicet, affirmationem & negationem, tùm veritatem & falſitatem: atque affirmatio quidem & negatio petuntur ex copula, ſicut in abſolutis ex verbo, & in modificatis ex modo; erit enim affirmatiua, ſi copula conſequentis affirmetur, etiamſi aliqua ſimplicium ſit negatiua; vt hæc, ſi Sol non eſt ortus, ſunt tenebræ; & hæc, ſi homo eſt rationalis, non eſt irrationalis; ſi nullum animal eſt lapis, nullus homo eſt lapis. Veritas autem & falſitas huiuſmodi propoſitionum, non eodem modo ſumitur in omnibus ſpeciebus ſupradictis: conditionalis erit vera, ſi conſequutio ſit vera, ſiue partes ſint veræ, ſiue falſæ; vt hæc vera eſt, ſi homo eſt arbor, homo non ſentit: cauſalis, vt ſit vera duo requirit, & vt partes veræ ſint, & vt quod pro cauſa adfertur ſit vera cauſa; vnde hæc vera eſt, quia homo eſt animal, homo ſentit; hæc autem falſa, quia homo eſt animal, homo eſt riſus capax: rationalis, ſeu illatiua, duo item poſtulat, & vt partes veræ ſint, & legitima ſit conſequutio; vnde hæc vera eſt, Petrus eſt homo, ergo riſibllis; hæc falſa, Petrus eſt

homo, ergo philoſophus: coniuncta, vt vera ſit, opus eſt omnes partes eſſe veras, & ſimul eidem conuenire; vt hæc vera eſt, Deus eſt iuſtus, & miſericors; ſi autem vna ſit falſa, tota erit falſa: diſiuncta vt vera ſit, ſatis eſt ſi altera ſimplicium vera ſit; vt homo vel eſt rationalis, vel irrationalis: in locali, vt vera ſit, duobus opus eſt, & vt veræ ſint partes, & ſint ſimul loco: eodem modo temporalis, vt vera ſit, requirit veras partes ſimul & eodem tempore: in ſimilitudinaria tandem, vt partes ſint veræ, & ſimilitudo intercedat, ſi alterum deſit, falſa erit. Denique obſeruandum eſt eandem eſſe rationem materiæ in his & ſimplicibus propoſitionibus, vnde conditionalis eſt neceſſaria, ſi fuerit illatio neceſſaria, quamuis partes ſint contingentes; vt ſi Petrus currit, mouetur. Contingens verò, ſi contingens ſit illatio, vt ſi Petrus ſtudet, doctus euadet. Impoſſibilis, ſi illatio ſit impoſſibilis; vt ſi Ioannes eſt homo, eſt rationis expers. Cauſalis neceſſaria eſt, cùm vna pars neceſſariò eſt cauſa alterius; vt quia homo eſt animal, ſentit: contingens, cùm non eſt cauſa neceſſaria; vt quia Ioannes valet ingenio, euadet doctus: impoſſibilis; vt cùm nullo modo poteſt eſſe cauſa; vt quia ignis eſt calidus, poteſt frigefacere. De rationali nihil dicendum eſt, quia materia nihil confert ad eius neceſſitatem. Copulatiua erit neceſſaria, cuius omnes partes ſunt neceſſariæ; vt homo eſt animal, & rationis compos: contingens verò, cuius omnes, vel aliqua pars eſt contingens; vt Petrus eſt iuſtus, & philoſophus; vel Petrus eſt homo, & philoſophus: impoſſibilis, cuius vel omnes, vel vna pars eſt impoſſibilis; vt Petrus ſentit, & ratione caret.

Cæteræ, vt plurimùm ſunt contingentes, niſi ratione cauſæ ſint neceſſariæ, vel impoſſibiles.

De Propoſitionibus exponibilibus.

Speciebus enunciationum ſuperiùs enumeratis, placet illas addere, quas Dialectici vocant exponibiles, ſeu expoſitione indigentes. Vocantur autem à Dialecticis exponibiles propoſitiones, quæ ratione alicuius termini obſcurum habent ſenſum, ideóque explicantur per alias clariores in illis incluſas, quas Dialectici vocare conſueuerunt, probationes terminorum, vel propoſitiones exponentes. Earum ſpecies ſunt quinque præcipuæ, ſcilicet, excluſiuæ, exceptiuæ, reduplicatiuæ, comparatiuæ, & ſuperlatiuæ, de quibus ſigillatim paucis agemus.

Excluſiuæ propoſitiones appellantur, quæ aliquod excluſionis ſignum includunt: cuiuſmodi ſunt, ſolùm, tantùm, duntaxat, & ſimilia: atque illæ ſunt in duplici differentia, quædam enim dicuntur de excluſo prædicato, quando, ſcilicet, tale ſignum determinat prædicatum, & ab eo excludit alia; vt homo eſt tantùm animal rationale: aliæ verò ſunt abſolutè excluſiuæ, quando tale ſignum modificat totam propoſitionem, quod fit cùm ſignum illud ſe tenet ex parte ſubiecti, & ponitur initio totius propoſitionis, vt tantùm Petrus eſt Dialecticus: quæ duæ propoſitionum ſpecies maximè differunt, propter ſenſum diuerſum; ſi enim in hac propoſitione, Euangeliſtæ ſunt tantùm quatuor, excluſio fiat in prædicato, vera eſt, quia ſignificatur Euangeliſtas non excedere quaternarium numerum; at ſi excluſio fiat in ſubiecto, ſcilicet, tantùm Euangeliſtæ ſunt quatuor, falſa; quia

ſignificatur nulla alia ab Euangeliſtis eſſe quatuor. Exponitur autem propoſitio excluſiua, de excluſo prædicato, & fit exponens clara, detracto ſigno à prædicato; vt illa excluſiua, Sacramenta nouæ legis ſunt tantùm ſeptem; ſic exponitur, Sacramenta nouæ legis ſunt ſeptem. Vt autem intelligamus quomodo exponendæ ſint excluſiuæ ſimpliciter, vel de excluſo ſubiecto; notandum eſt eas eſſe in quadruplici differentia: nam primò, quædam ſunt omnino affirmantes, tàm ratione ſigni, quàm ratione copulæ propoſitionis; vt tantùm Petrus eſt Dialecticus: ſecundò, aliæ habent præpoſitam vnam negationem; vt non tantùm Petrus eſt Dialecticus: tertiò, aliæ ſunt, quarum copula negatur, & ſignum affirmatur; vt tantùm Petrus non eſt Dialecticus: quartò, aliæ contra ſunt negantes ratione vtriuſque; vt non tantùm Petrus non eſt Dialecticus, quæ omnes ſunt exponendæ, & reſoluendæ per hypotheticas, quarum prior pars conſtet, ex eodem prædicato & ſubiecto ipſius excluſiuæ, ablato ſigno: poſterior autem, ex eodem prædicato & oppoſito ſubiecti; vt hæc propoſitio, tantùm homo eſt riſibilis, exponitur, homo eſt riſibilis: & nihil aliud ab homine, ſeu nullum non homo, eſt riſibile. Cæterùm non omnes ſupradictæ propoſitiones eodem modo exponendæ ſunt, ſed prima, tantùm homo eſt Dialecticus, per copulatiuam, cuius prior pars ſit ipſa excluſiua, ablato ſigno, poſterior negans vniuerſalis de oppoſito ſubiecti: ſic homo eſt Dialecticus, & nullus non homo eſt Dialecticus. Secunda, non tantùm Petrus eſt Dialecticus; diſiunctiuè per partes contradictorias propoſitionis prioris; vt nullus

nullus Petrus eſt Dialecticus; vel aliquis qui non eſt Petrus, eſt Dialecticus. Tertia, copulatiuè, vt prima; ſic enim hæc, tantùm Petrus non eſt Dialecticus, exponitur, Petrus non eſt Dialecticus, & quilibet alius à Petro eſt Dialecticus. Quarta, ſimiliter diſiunctiuè, vt ſecunda; ſic enim hæc, non tantùm Petrus non eſt Dialecticus, exponitur, omnis Petrus eſt Dialecticus, vel aliquis non Petrus, non eſt Dialecticus.

Exceptiuæ propoſitiones illæ dicuntur, quæ aliquo ſigno exceptionis modificantur, cuiuſmodi eſt, præter; in quibus obſeruandum eſt, vt terminus exceptus ſit inferior termino à quo ſit exceptio, & talis terminus, à quo ſit exceptio, diſtribuatur; alioqui enim non erit apta exceptiua propoſitio; vt omne animal, præter hominem, eſt rationis expers; quæ ad hunc fermè modum exponitur, omne animal aliud ab homine eſt irrationale, vel omne animal non homo eſt irrationale, vel omne animal quod non eſt homo eſt irrationale.

Reduplicatiuæ ſunt hæ, quæ habent aliquod ſignum, quod aliquid ſupra terminum præcedentem ſuperponit; vt homo, in quantum homo, eſt riſibilis. Obſeruandum tamen eſt huiuſmodi terminum, in quantum, vel quatenus, vel vt, bifariam coniungi, & duplicem ſenſum omninò diuerſum efficere poſſe: interdum enim ſolùm manifeſtat aliquam rationem termini conſequentis, ſecundùm quam denotatur aliquid ei conuenire; vt ens reale per ſe, commune Deo & rebus creatis, quatenus tale, eſt obiectum Metaphyſicæ; ens naturale, vt naturale, eſt obiectum Phyſicæ; & tunc dicuntur ſignificare ſpecificatiuè: interdum verò

important, vel includunt cauſam prædicati; vt homo, quatenus rationalis, eſt riſibilis, & tunc dicuntur ſignificare reduplicatiuè: itaque hæc propoſitio, homo, quatenus homo, eſt riſibilis, non eſt vera ſpecificatiuè, quia homo non eſt cauſa riſibilitatis, ratione vtriuſque partis, animalis, ſcilicet, & rationalis, quibus homo conſtituitur ſpecies, & ſupra quas tunc cadit particula quatenus, ſed reduplicatiuè vera eſt, quia ſignificatur quòd homo, vt homo, ratione partis, quâ maximè cōſtituitur homo, ſcilicet, rationalis, eſt cauſa riſibilitatis. Exponitur autem propoſitio reduplicatiua, ſpecificatiuè vera, per vocabula clariora, vt, homo, quatenus homo, eſt ſpecies, id eſt, homo, communiter ſumptus, & in generali, eſt ſpecies; reduplicatiua autem ſimpliciter exponitur per cauſalem, cùm ſemper cauſam contineat, vt homo, quatenus homo, eſt riſibilis, id eſt, quia homo eſt rationalis, eſt etiam riſibilis.

Propoſitiones comparatiuæ, ſunt in quibus fit aliqua comparatio, & eſt gradus comparationis, ſicque exponuntur; leo eſt fortior homine, per has tres propoſitiones, leo eſt fortis, & omnis homo eſt fortis, & leo eſt magis fortis.

Propoſitiones ſuperlatiuæ, illæ dicuntur in quibus eſt gradus ſuperlatiuus; exponuntúrque, vel per copulatiuam affirmantem, vt, Ariſtoteles fuit doctiſſimus Philoſophorum, id eſt, Ariſtoteles fuit Philoſophus, & quocumque Philoſopho doctior, vel per copulatiuam ex vniuerſali negante; vt, Cicero fuit facundiſſimus Oratorum, id eſt, Cicero fuit Orator, & nullus Orator fuit illo facundior.

Cæterùm, quia præter ſigna categorematica, ſunt aliqua categoremata, quæ reddunt obſcurum ſenſum, vt differt, aliud, diuerſum, incipit, & deſinit, ideo explicatione indigent. Propoſitiones quæ conſtant ex aliquo trium priorum vocabulorum; ſi affirmantes ſint, explicantur per tres huiuſmodi exponentes, vt, homo differt ab equo, vel homo alius, aut diuerſus eſt ab equo; ſic, homo eſt, & equus eſt, & homo non eſt equus: ſin autem negantes, vt, Cicero non differt à Tullio; ſic exponentur per diſiunctionem, Cicero non eſt, vel Tullius non eſt, vel Cicero eſt Tullius. Quod attinet ad verbum, incipit, quando iungitur termino ſignificanti ſubſtantiam, eſt reſoluendum per copulatiuam, cuius prior pars ſit de præſenti affirmans, & poſterior negans de præterito, commixto aduerbio, immediatè, per quod ſignificatur temporis præteriti propinquitas cum præſenti; vt, homo incipit eſſe, id eſt, homo eſt, & immediatè ante hoc non fuit; quando verò iungitur termino ſignificanti rem, quæ ſucceſſiuè habet ſuum eſſe, eſt reſoluenda per hypotheticam propoſitionem copulatiuam; vt, calor incipit eſſe, id eſt, calor non eſt, & immediatè poſt hoc erit. De verbo tandem, deſinit, ſic ſtatuitur, ſi iungatur termino ſignificanti rem quæ totum eſſe ſuum ſimul habet, ſic exponetur per copulatiuam, Petrus deſinit eſſe, id eſt, Petrus non eſt, & immediatè ante hoc fuit; eodémque modo quando coniungitur cum ſucceſſiuis; vt motus deſinit eſſe, id eſt, motus non eſt, & immediatè ante hoc fuit.

INTERVALLVM V.

De Conſequentia.

CONSEQVENTIA vel conſequutio definitur, oratio in qua ex aliquo aliquid colligitur; vt, homo eſt animal, ergo ſentit. Vbi id, ex quo aliud colligitur, vocatur antecedens, id autem, quod ex illo conſequitur, conſequens, vel concluſio nominatur. Quatuor autem ſunt ſpecies conſequentiæ. Prima eſt, cùm quælibet propoſitio colligitur ex ſeipſa, vel ex ſua æquipollente; vt, homo eſt animal; igitur homo eſt animal: &, omnis homo eſt animal; ergo nullus homo non eſt animal; licet enim prior conſequentia ſit ridicula, eſt tamen formalis, & maximè neceſſaria; quia nihil verius dicitur, quàm idem de ſeipſo, vnde talis propoſitio vocatur identica. Secunda eſt, quando antecedens & conſequens conſtant iiſdem omninò terminis, & eodem ordine diſpoſitis, ſed tamen non idem valent; vt, omnis homo eſt animal; ergo quidam homo eſt animal. Tertia, cùm antecedens & conſequens conſtant ex iiſdem terminis, ſed ordine inuerſo; vt nullus homo eſt lapis; ergo nullus lapis eſt homo: &, omnis homo eſt animal; ergo quoddam animal eſt homo: in quo genere, ſunt quædam conſequentiæ formales; vt omnes conuerſiones propoſitionum, quæ ad hoc genus propoſitionum pertinent; aliæ materiales, vt reciprocationes, quæ fiunt ex ſubiecto & propriâ affectione, ex definito & definitione, vt ſi dicas, omnis homo eſt riſibilis; ergo omne riſibile eſt homo: &,

omnis homo eſt animal rationale; ergo omne animal rationale eſt homo: nam hæ conſequentiæ tantùm valent ratione materiæ. Propoſitio enim vniuerſalis affirmans, non conuertitur in vniuerſalem, ſed in particularem affirmantem. In ſecundo genere, ſunt etiam quædam conſequentiæ formales, vt cùm ex ſubalternante infertur ſubalternata, vel ex indefinita infertur particularis; vt omnis homo eſt animal; ergo quidam homo eſt animal: & homo eſt iuſtus; ergo quidam homo eſt iuſtus: quædam verò materiales, vt cùm ex indefinita infertur vniuerſalis; vt homo eſt animal; ergo omnis homo eſt animal: hæc enim conſequentia tantùm valet ratione materiæ, quia, ſcilicet, illi termini ſunt neceſſariò inter ſe connexi. Quarta ſpecies eſt, cùm antecedens & conſequens non conſtant iiſdem omninò extremis, ſed diuerſis, quoniam in antecedente continetur argumentum, quod non continetur in conſequente, quia medium non ingreditur concluſionem argumentationis: atque hæc ſola conſequentia ratione argumenti quod continet, quódque eſt veluti eius anima, argumentatio dicitur, quaſi argumenti explicatio, vt Cicero author eſt in partitionibus.

Cæterùm conſequentia, ſeu illatio continens argumentum, duplex eſt, legitima, ſcilicet, & vitioſa: illam vocant, in qua verè aliquid colligitur ex aliquo, ſiue id fiat ratione materiæ, ſiue ratione formæ; vt, omnis homo eſt animal; ergo omnis homo eſt ſenſus particeps: hanc contrà, in qua aliquid ex aliquo verè non concluditur, vt Petrus eſt homo; ergo Petrus eſt philoſophus: atque hæc

vitioſa, non eſt ſimpliciter conſequentia, de illa autem legitima & vera conſequentia traduntur præcepta ſequentia. Primum, ex vero antecedente, non niſi verum conſequens colligi poteſt: nam tum bona ſeu apta conſequentia dicitur, in qua ex veritate antecedentis, ſaltem ex hypotheſi data, conſequens verum eſſe deprehenditur. Secundum verum colligi poteſt, tàm ex vero, quàm ex falſo; vt, omnis virtus eſt laudanda; omnis iuſtitia eſt virtus; ergo omnis iuſtitia eſt laudanda: ſic, omne vitium eſt laudandum; omnis iuſtitia eſt vitium; ergo omnis iuſtitia eſt laudanda. Tertium, ex falſo poteſt colligi falſum & verum; vt, omne animal eſt nigrum; cygnus eſt animal; ergo cygnus eſt niger: ſic, omne animal eſt candidum: cygnus eſt animal; ergo cygnus eſt candidus. Quartum, falſum nunquam concluditur, niſi ex falſo; quia ſi falſum ex vero colligeretur, daretur, in bona conſequentia, antecedens verum & conſequens falſum, quod paulò antè negauimus. Quintum, neceſſarium colligitur ex quolibet, id eſt, ex neceſſario, impoſſibili, & contingenti, vt patet his exemplis: omne corpus eſt ſubſtantia; omnis planta eſt corpus; ergo omnis planta eſt ſubſtantia: omnis ſcholaſticus mouetur loco; ſed aliquis deambulans eſt ſcholaſticus; ergo aliquis deambulans mouetur loco: omnis planta per ſe ſubſiſtit; omnis homo eſt planta; ergo omnis homo per ſe ſubſiſtit. quæ omnes conſequentiæ colligunt neceſſariam concluſionem: ſed prima ex neceſſario antecedente, ſecunda ex contingenti, tertia ex impoſſibili. Sextum, ex neceſſario non niſi neceſſarium ſequitur: probatur, quia neceſſarium ſemper eſt verum,

contingens autem poteſt eſſe falſum, & impoſſibile ſemper eſt falſum: ergo ſi ex neceſſario rectè ſequeretur contingens, aut impoſſibile, dari poſſet in bona conſequentia antecedens verum, & conſequens falſum, contra id quod ſupra poſitum eſt. Septimum, ex contingenti nunquam colligitur impoſſibile, ſed neceſſarium, vel contingens. Prior pars patet, quia cùm contingens poſſit eſſe verum, impoſſibile autem ſemper ſit falſum, ſi ex contingenti poſſet colligi impoſſibile, ſequeretur, ex vero antecedente poſſe colligi conſequens falſum, quod repugnat: poſterior autem, quòd, ſcilicet, ex contingenti poſſit colligi neceſſarium, patet ex eadem ratione: contingens denique ex contingenti rectè ſequi, oſtendit hic ſyllogiſmus: omnis grammaticus eſt dialecticus; homo eſt grammaticus; ergo homo eſt dialecticus. Octauum contingens nunquam colligitur ex neceſſario, ſed vel ex contingenti, vel ex impoſſibili, quia alioqui dato antecedente vero, ſequeretur conſequens falſum; neceſſarium enim non poteſt non eſſe verum, contingens autem poteſt eſſe falſum: at ex impoſſibili rectè colligitur contingens, vt, omnis auis loquitur; omnis homo eſt auis; ergo omnis homo loquitur. Nonum, ex impoſſibili ſequitur quodlibet, id eſt, neceſſarium, contingens, & impoſſibile: de duobus prioribus conſtat ex ſupradictis, poſtremum verò patet hoc exemplo; omnis planta valet acie videndi; omnis lapis eſt planta; ergo omnis lapis valet acie vidědi. Decimum, impoſſibile tantùm colligitur ex impoſſibili; patet, quia alioqui ex antecedente vero, in bona conſequentia formali, daretur conſequens falſum, quod repugnat.

Vndecimum, in bona conſequentia, quidquid ſtat cum antecedēte, poteſt ſtare cum conſequente, non è contra; vt hoc eſt homo; ergo animal: &, hoc eſt homo, & bipes; ergo eſt animal & bipes: non tamen valet, hoc eſt animal & quadrupes; ergo hoc eſt homo & quadrupes. Duodecimum, quod repugnat conſequenti, repugnat etiam antecedenti, ſed non contrà. Ex priori parte ſumitur tritum in ſcholis axioma dialecticorum; in bona conſequentia, ex oppoſito contradictorio conſequentis, infertur contradictorium antecedentis; vt ſi valet hæc conſequentia, equus eſt planta; ergo non eſt ſenſus particeps, licebit etiam inferre, equus eſt ſenſus particeps; ergo equus non eſt planta; alioqui ex antecedente vero, aliquid falſum colligeretur. Poſterior pars manifeſta eſt, quia equus repugnat homini, qui eſt antecedens, non tamen animali. Decimum-tertium, ex quocunque ſequitur antecedens, ſequitur & conſequens; & quidquid ſequitur ex conſequenti, ſequitur ex antecedenti; vt hoc eſt homo; ergo eſt animal: ſi eſt animal; ergo eſt ſubſtantia: & ſi eſt homo; ergo eſt ſubſtantia. In quo genere conſequentiæ tres ſunt ad minimum, quibus multò plures coniungi poſſunt, vt patet ex tota ſerie categorica, qui colligendi modus ſorites Græcis, Ciceroni coaceruatio, & Latinis Philoſophis argumentatio à primo ad vltimum, vocari ſolet.

PVLVINVS ARGVMENTATIVVS.

Variæ argumentationis appellationes, definitio, finis.

Ariſtoteles variis in locis varium aſſignat argu-

mentationi nomen. Primò enim Rhetoric. ad Theodecten cap. 1. nunc ἀπόδειξιν, id eſt, demonſtrationem, latiùs ſumpto demonſtrationis vocabulo, interdum πίστιν, id eſt, fidem, ſeu probationem: interdum argumentum, id eſt medium: interdum λόγον, quod ratione, vel oratione interpretari licet non inſcitè vocat: à Latinis autem appellatur argumentatio ab argumento quod in ea, vt anima in corpore, collocatur: vnde à Cicerone definitur, argumenti explicatio. Pleniùs tamen ſic definiri poteſt; argumentatio, eſt oratio in qua, ex argumento explicato, altera pars quæſtionis concluditur. Dicitur oratio, quâ particulâ differt à nomine & verbo, ſimilibúſque terminis ſimplicibus. Secundò additur, in qua ex argumento explicato, quibus verbis excluduntur conſequentiæ omnes carentes medio; vt cùm vna propoſitio conuertitur in ſeipſam, aut vna æquipollentium ex alia infertur, quæ non ſunt argumentationes; ſequentia verba ſignificant, effectum medij & antecedentis eſſe concluſionem, quæ continet quæſtionem probatam. Sciendum enim eſt argumentationis finem eſſe probare quæſtionem, at non probatur ex ſeipſa, ſed ex aliquo diuerſo, aliter enim eſſet petitio principij. Illud porrò diuerſum quod aſſumitur ad aliquid probandum, vocatur medium, vel argumentum, id eſt, inuentum, ſeu inuenta ratio ad faciendam fidem quæſtionis propoſitæ, & quia per argumentationem progredimur à rebus notioribus ad ignotiores, debet illud medium, quod aſſumitur eſſe nobis notius ad probandam quæſtionem dubiam: eſt autem quæſtio, enunciatio in dubitationem adducta, quæ vtramque contradi-

ctionis partem affirmationem, ſcilicet, & negationem, vnam expreſsè, alteram implicitè, complectitur: vt eſtne omnis homo admirationis capax, an non? ad cuius partem affirmantem confirmandam excogitandum eſt medium nobis notius, quod vt plurimum eſt definitio ſubiecti; vt in hac propoſitione, omnis homo eſt admirationis capax, ſumenda erit pro medio, ſeu argumento, definitio hominis, ſcilicet, animal rationale, quod quidem medium, ita explicabitur, ſi cum duobus extremis aptè diſponatur ad inferendam illam concluſionem, in hunc modum: omne animal rationale eſt admirationis capax; omnis homo eſt animal rationale; ergo omnis homo eſt admirationis capax: ex quibus facile eſt colligere, duo requiri in argumentatione ad faciendam fidem, vnum eſt, argumenti excogitatio; alterum eiuſdem diſpoſitio, & accommodatio, ad inferendam concluſionem: prius vocatur inuentio, quæ ſuppeditat materiam argumentationis; poſterius dicitur iudicium, quod formam adhibet.

De ſpeciebus argumentationis.

Quatuor autem ſunt præcipuæ argumentationis formæ, ſeu ſpecies, ſyllogiſmus, ſeu ratiocinatio, enthymema, inductio, & exemplum; quibus adduntur duæ aliæ magis Rhetorum propriæ, ſcilicet, dilemma, & ſorites. Ratiocinatio definitur ab Ariſtotele lib. 1. priorum analyticorum cap. 1. oratio, in qua quibuſdam poſitis, aliud quippiam, ab iis quæ poſita ſunt, neceſſariò conſequitur, eo quòd hæc ſunt. in qua definitione, ſunt multæ particulæ, quibus natura ratiocinationis explicatur: dicitur enim primò, oratio, Græcè λόγος, id eſt, ar-

gumentatio : ſecundò, in qua quibuſdam, id eſt, paucis ſumptionibus, nempe, duabus : tertiò, poſitis, id eſt, conceſſis, niſi enim conceſſæ fuerint, non poteſt vltra fieri progreſſus : quartò, aliud quippiam, ab iis quæ poſita ſunt, id eſt, concluſio, à ſumptionibus diuerſa : quintò, neceſſariò conſequitur, vi formæ maximè, quia omnis ſyllogiſmus eſt conſequentia neceſſaria, ſiue per eam colligatur concluſio neceſſaria, ſiue probabilis; aliud enim eſt conſequentia, ſeu vis inferendi, aliud conſequens, ſeu concluſio: quoniam conſequentia eſt illa oratio, quâ vnum ex alio colligitur: conſequens autem, ſeu concluſio eſt quaſi effectus, & terminus illius conſequentiæ : ſicut terminus ad quem tendit calefactio, ſeu terminus qui acquiritur per calefactionem, eſt calor : ſextò, eò quòd hæc ſunt, quibus verbis reiiciuntur omnes argumentationes neceſſariæ ex vi materiæ duntaxat: vnde ſuprà meminimus duplicis conſequentiæ neceſſariæ, materialis, & formalis: hæc dicitur, quæ vi formæ aliquid neceſſariò concludit: illa contra, quæ ratione materiæ. ea autem dicitur concludere vi formæ, cuius formam modúmve colligendi ſi tenueris, in quacunque alia materia, etiam impoſſibili aptè concludes; vt in hoc ſyllogiſmo, omne animal eſt ſenſus compos; omnis equus eſt animal; ergo omnis equus eſt ſenſus compos. vi formæ dicitur inferri neceſſaria concluſio, quia licet ſit neceſſaria etiam ratione materiæ, quoniam equus neceſſariam habet cum animali & ſentiente connexionem : peculiari tamen ratione dicitur concludere vi formæ, quia ſeruatâ eadem formâ in quauis alia materia, etiam impoſſibili, aliquid

neceſſariò concluditur; vt ſi dicas, omnis equus eſt lapis; Bucephalus eſt equus; ergo Bucephalus eſt lapis. Eſt enim eadem eáque apta conſequentia: ea verò dicitur concludere vi ſolius materiæ, quæ vi formæ nihil colligit, ſed tamen talis eſt, vt aſſumpta ſimili materia, ſemper in eadem forma aptè concludatur; vt hæc conſequentia eſt materialis, equus eſt animal, ergo eſt ſenſus particeps; quia eſt tantùm neceſſaria propter ſolam materiam, hoc eſt, propter ſolam rerum ſignificatarum connexionem: vnde ſi retenta eadem forma aliam materiam diſſimilem accipias, fieri poteſt, vt ineptè concludas; vt ſi dicas, equus eſt animal; ergo equus eſt latrabilis: illa ergo concludit vi materiæ, quæ ſimili materiâ aſſumptâ, ſemper in eadem forma aptè concludit.

Secunda ſpecies argumentationis, eſt Enthymema, quòd à Boëtio definitur argumentatio in qua non omnibus ſumptionibus propoſitis feſtinata infertur concluſio: vt omnis homo prius cognoſcit effectum, quàm cauſam; ergo omnis homo eſt admirationis capax: hinc dici ſolet imperfectus, ſeu truncatus ſyllogiſmus, ſi enim alteram ſumptionem illi reſtituas, perfectus fiet ſyllogiſmus; vt, quidquid prius percipit effectum quàm cauſam, eſt admirationis capax; omnis homo priùs percipit effectum quàm cauſam; igitur omnis homo eſt admirationis capax. hinc etiam Enthymema appellatur, quia ἐν θύμῳ, id eſt, in animo manet illa ſumptio quæ prætermittitur.

Tertia eſt inductio, quæ definitur, argumentatio quâ progredimur à ſingularibus, ſeu minùs vniuerſalibus ad vniuerſaliora & generaliora. Eam

duplicem vulgò conſtituunt, perfectam & imperfectam. illa eſt, in qua numerantur omnia ſingularia, & tum poſito antecedente, non poteſt negari conſequentia; vt hæc concluſio, omne viuens creſcit; ſic probatur, omnis planta creſcit; omnis bellua creſcit; omnis Homo creſcit: ſed planta, bellua, & homo ſunt omne viuens; ergo omne viuens creſcit. imperfecta verò, in qua numerantur pleraque, ſed non omnia ſingularia, & tum iudicio Ariſtotelis, vel eſt concedenda conſequentia, conceſſo antecedente, vel certè adferendum aliquid, in quo res aliter ſeſe habeat. Porrò quando ſunt plura ſingularia, ne repetitio pariat tædium propoſitis duobus, vel tribus, cætera ſunt colligenda, his verbis, & ita de cæteris, vel aliis ſimilibus; vt, hic ignis vrit, & iſte ignis vrit, & ille vrit, & ita de cæteris; ergo omnis ignis vrit: reducitur autem facilè ad ſyllogiſmum, vt patet. tandem notabis inductionem plurimùm valere ad principiorum probationem, & explicationem; quia enim prima ſunt, denotari nequeunt per alia priora, tum ad eorumdem inueſtigationem.

Quarta eſt exemplum, quod definitur, argumentatio in qua ſingulare ex altero colligitur propter ſimilitudinem quæ cernitur in vtroque. reducitur ad ſyllogiſmum, ſumptâ ſimilitudine loco medij; vt, Petrus euaſit doctus; igitur Ioannes euadet doctus. exemplum eſt, ſimilitudo autem quæ debet intercedere inter Petrum & Ioannem, eſt ingenium & diligentia: quare ſic fiet ſyllogiſmus: quicunque ingenioſus eſt, & diligens, doctus euadet: Ioannes ſicut Petrus eſt eiuſmodi; ergo ſicut Petrus doctus euaſit, ita & Ioannes euadet.

Quod attinet ad argumentationes Rhetoricas dictum & dilemma à δὶς & λαμβάνω, quaſi vtrumque aduerſarium capiens, eſt enim argumentatio in duas partes diſtributa, quarum vtrauis conceſſa efficimus quod volumus. quod quidem ab aliis vocatur cornutum argumentum, cuiuſmodi eſt illud apud Diogenem Laërtium lib. 9. de vitis Philoſophorum, de duobus qui inter ſe conuenerant, vt vnus vbi primum in iudicio viciſſet, perſolueret, cúmque id multo tempore facere recuſaſſet, eóque nomine ab alio in ius vocaretur, hoc ſe dilemmate tuebatur: ſi vicero non reddam, quia pro me fertur ſententia: ſi viceris nec etiam reddam, quia pactum non eſt impletum: alter autem eodem ſe dilemmate tutabatur, dicens; ſi viceris, reddere debes pecuniam ratione pacti: ſi autem vicero, ſimiliter, quia pro me fertur ſententia.

Σωρείτης Græcè, Latinè gradatio, ſeu coaceruatio definitur, argumentatio in qua, multis interiectis, ex primo concludimus vltimum. huius autem duplex eſt vſus: prior affirmando, quando ex antecedentibus tendimus ad conſequentia, id eſt, ab inferioribus ad ſuperiora; vt quod eſt homo, eſt animal, quod eſt animal eſt viuens, quod eſt viuens eſt corpus, quod eſt corpus eſt ſubſtantia; ergo à primo ad vltimum, quod eſt homo eſt ſubſtantia. Poſterior negando, quando ex conſequentibus progredimur ad antecedentia; vt quod non eſt ſubſtantia non eſt corpus, quod non eſt corpus non eſt animal, quod non eſt animal non eſt homo; ergo à primo ad vltimum, quod non eſt ſubſtantia non eſt homo: ſed quia, vt patet: reliquæ

ſupradictæ ſpecies argumentationis referuntur ad ſyllogiſmum, vt ad præcipuam ſpeciem, ideò in eius explicatione, tota reliqua inſtitutio verſabitur.

INTERVALLVM VI.

De materia & forma ſyllogiſmi.

EX definitione ratiocinationis ſuperiùs tradita, colligimus ratiocinationem conſtare debere ex duabus propoſitionibus, certo quodam ordine connexis, quarum vi ſequatur concluſio ab ipſis diuerſa. quemadmodum verò corpus naturale conflatur ex duabus naturis, materia, ſcilicet, & forma: ſic ratiocinatio, ſecundùm analogiam quandam, componitur ex materia & forma: materia ſyllogiſmi duplex eſt, vna proxima, altera remota: hæc, conſiſtit in partibus materialibus, nempe propoſitionibus, ex quibus proximè componitur ſyllogiſmus, quæ duæ propoſitiones habent rationem antecedentis, & vocantur, tum præmiſſæ, quia, ſcilicet, præmittuntur, & admitti debent antequam inferatur concluſio; tùm ſumptiones, quia in eis ſumitur medium; earum prior vocatur maior propoſitio, vel propoſitio ſimpliciter, Græcè, πρότασις, quæ ex maiore extremo & medio ſtruitur, & in qua eſt præcipuum robur ſyllogiſmi; vt in ſequenti patet, omnis virtus eſt qualitas. Poſterior verò dicitur minor propoſitio, vel aſſumptio, Græcè πρόσληψις, quæ ex minore extremo & medio conficitur, in qua, vt plurimùm, minor vide-

Digitized by Google

tur ineſſe vis ad inferendam concluſionem; vt omnis iuſtitia eſt virtus. concluſio autem quæ infertur, & conſequens, vel complexio appellatur, ſemper nectitur ex maiore & minore extremo; vt omnis iuſtitia eſt qualitas. Remota autem materia, eſt, ex qua remotè componuntur ſyllogiſmi, nempe, tres termini, ſeu tria extrema, maius, minus, & medium: nam cùm ſyllogiſmus componatur ex illis terminis per intermedias aſſumptiones, rectè dicitur idem ſyllogiſmus, ex his proximè, & ex illis remotè, conflari. vocatur autem maius extremum, ſeu maior terminus, qui ſumitur cum medio in maiori propoſitione, à qua, vt à nobiliore in qua eſt, propterea dicitur maius: minus extremum, ſeu minor terminus eſt, qui ſumitur cum medio in minori propoſitione, vnde vocatur minus, quia minùs præſtantem locum ſibi vendicat: medium eſt terminus, qui bis ſumitur ante concluſionem, ſemel in maiore, & ſemel in minore, éſtque illud medium argumentum vel ratio quæ aſſumitur ad inferendam concluſionem, ſeu ad manifeſtandam veritatem concluſionis, vt patet in hoc ſyllogiſmo; omnis virtus eſt qualitas; omnis iuſtitia eſt virtus; ergo omnis iuſtitia eſt qualitas. cùm igitur ſumptiones ſint materia ſyllogiſmi, ſi illæ fuerint neceſſariæ, ſyllogiſmus ratione materiæ erit neceſſarius; ſi probabiles, probabilis, ſeu dialecticus, & ita de cæteris.

Iam verò quod attinet ad formam ſyllogiſmi; conſtat ex figura & modo. eſt enim forma ſyllogiſtica, apta præmiſſarum diſpoſitio in figura & modo. Figura verò ſyllogiſtica, eſt apta collocatio extremorum cum medio ad aliquid concludendum;

dum; erit autem apta, ſi in altera ſumptionum ſit maius extremum, in altera minus, in concluſione vtrumque: medium verò ſemel iungatur maiori extremo, ſemel minori, & nunquam ingrediatur concluſionem: quòd ſi aliter diſponantur termini, non erit figura ſyllogiſtica. Modus tandem ſyllogiſticus, eſt ſumptionum, ad concluſionem colligendam, apta ſecundùm quantitatem & qualitatem complicatio; vt quod vna ſit vniuerſalis, altera particularis, vtraque affirmans, vel vna affirmans, & altera negans: vnde ſecùndùm varias combinationes propoſitionum in quantitate, & qualitate, varij ſunt modi ſyllogiſmorum, vt conſtabit ex ſequentibus.

Notandum tamen eſt generales modos concludendi duos eſſe, ſcilicet directè, ſeu ſecundùm naturam; & indirectè, ſeu contra naturam. Modus directus, qui, ſcilicet, directè concludit, eſt cùm maius extremum de minore concluditur; vt in hoc ſyllogiſmo, omnis arbor viuit; omnis pirus eſt arbor; ergo omnis pirus viuit. nam in hac concluſione, viuens, quod eſt maius extremum, prædicatur de minore, ſcilicet, piro. Modus verò indirectus, ſeu qui indirectè concludit, eſt cùm è contra, minus extremum de maiore colligitur; vt ſi quis in præcedenti ſyllogiſmo ſic colligeret: ergo quoddam viuens eſt pirus. Cæterùm trifariam ſolùm medium cum extremis variè collocari poteſt, vnde naſcuntur tres figuræ ſyllogiſmorum. Prima eſt, in qua medium ſubiicitur alteri extremo, & de altero prædicatur. Secunda in qua medium prædicatur de vtroque extremo. Tertia in qua medium vtrique ſubiicitur.

Areola syllogistica.

De Figuris ſyllogiſmorum.

Quælibet figura multos habet varióſque concludendi modos, & prima quidem complectitur 4. directos, in quibus, ſcilicet maius extremum prædicatur in concluſione, & 5. indirectos, in quibus è contra minus extremum de maiori effertur. Priores his vocabulis artificioſis appellantur. *Barbara, Celarent, Darij, Ferio.* poſteriores his. *Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum.* quarum vocum, vt etiam ſimilium in aliis figuris, ſignificationem intelliges, ſi aduerteris, primam ſyllabam quiuſque dictionis, ſignificare maiorem propoſitionem; ſecundam, minorem; tertiam, concluſionem. Vnde ſi in aliquibus harum dictionum plures ſint ſyllabæ tribus, vt in Baraliptom, & Friſeſomorum, poſtremæ ſunt ſuperfluæ. Deinde, vocalem, a, deſignare enunciationem, cui reſpondet illa ſyllaba, debere eſſe vniuerſalem affirmantem, e, vniuerſalem negantem, i, particularem affirmantem, o, particularem negantem, vt dictum eſt ſuprà in duobus illis verſibus, aſſerit, a, negat, e. Primus ergo modus primæ figuræ, Barbara, conſtat ex duabus propoſitionibus vniuerſalibus affirmantibus, & concluſione vniuerſali etiam affirmante; vt, omnis homo præferens ſuum iudicium iudicio totius Eccleſiæ eſt ſuperbus; ſed omnis hæreticus præfert ſuum iudicium iudicio totius Eccleſiæ; ergo omnis hæreticus eſt ſuperbus. Secundus eſt, Celarent, ex maiore vniuerſali negante, minore vniuerſali affirmante, & concluſione vniuerſali negante; vt, nul-

lus hæreticus eſt fidelis; omnis Caluiniſta eſt hæreticus; ergo nullus Caluiniſta eſt fidelis. Tertius eſt, Darij, ex maiore vniuerſali affirmante, & minore, & concluſione particulari affirmante, vt, omnis homo eſt animal; aliquod viuens eſt homo; ergo aliquod viuens eſt animal. Quartus Ferio, ex maiore vniuerſali negante, & minori particulari affirmante, & concluſione particulari negante; vt, nullus homo eſt lapis; aliquod animal eſt homo; ergo aliquod animal non eſt lapis.

Primus modus indirectus eſt, Baralip, conſtans ex vtraque ſumptione vniuerſali affirmante, & concluſione particulari item affirmante; vt, omne animal eſt ſubſtantia; omnis homo eſt animal; ergo aliqua ſubſtantia eſt homo. Secundus Celantes, ex propoſitionibus vniuerſis, maiore quidem negante, aſſumptione contrà affimante, & concluſione negante; vt, nullum animal eſt ſenſus expers; omnis homo eſt animal; ergo nullum ſenſus expers eſt homo. Tertius Dabitis; vt, omne viuens eſt corpus; aliqua planta eſt viuens; ergo aliquod corpus eſt planta. qui tres modi oriuntur ex tribus modis directis per conuerſionem concluſionis. Quartus eſt Fapeſmo; vt, omne album eſt coloratum; nullus coruus eſt albus; ergo aliquod coloratum non eſt coruus. Quintus eſt friſeſom; vt, aliquod nigrum eſt homo; nullum album eſt nigrum; ergo aliquis homo non eſt albus. Cæterùm quia quatuor directi euidentius multò quàm indirecti concludunt, ideò Ariſtoteles ſolos illos explicauit. Tandem hîc duo notanda occurrunt. Primum in hac figura concluſionem colligi in modis directis, ſumendo ſubiectum ex ſubiecto aſſumptionis, &

attributum ex attributo maioris: in modis autem indirectis, contrà. Deinde obſeruandum eſt, hanc primam figuram inniti huic axiomati; quod dicitur de ſubiecto, aut negatur; dicitur quoque, aut negatur, de iis quæ continentur ſub illo. Quod alij vocant, dici de omni, & dici de nullo: dici quidem de omni, ſupple, de quo dicitur ſubiectum; dici verò de nullo, intellige, de quo non dicitur ſubiectum, & de quocumque dicitur ſubiectum, dicitur & prædicatum.

Secunda figura modos directos 4. habet, totidem ſimilibus vocabulis conſignificatos.

Cæſare, Cameſtres, Feſtiuo, Baroco.

Cæſare, habet maiorem vniuerſalem negantem, minorem vniuerſalem affirmantem, concluſionem vniuerſalem negantem, vt nullum perpetuum eſt violentum; omnis tyrannis eſt violenta; ergo nulla tyrannis eſt perpetua. Secundus Cameſtres; vt omnis qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam; nullus iuſtus odit animam ſuam; ergo nullus iuſtus diligit iniquitatem. Tertius Feſtiuo; vt nullum vitium placet Deo; quædam animi ſubmiſſio placet Deo; ergo quædam animi ſubmiſſio non eſt vitium. Quartus Baroco; vt omnis qui ex Deo eſt, verba Dei audit; aliquis malus Chriſtianus, non audit verba Dei; ergo aliquis malus Chriſtianus non eſt ex Deo. Cæterùm non ſunt aſſignati modi indirecti huius figuræ, ſunt tamen qui dicant aſſignari poſſe tres, conuerſâ concluſione in tribus primis, Cæſare, Cameſtres, Feſtiuo; quidquid ſit, certum eſt omnes huius & ſequentis figuræ modos eſſe imperfectos, ideóque reduci ad modos directos primæ figuræ, vt perficiantur. Nititur autem

hæc ſecunda figura illi principio, quod repugnat conſequenti, repugnat etiam antecedenti: aduerte autem in hac figura concluſionem colligi, ex duobus ſubiectis præmiſſarum, adeò vt ſubiectum minoris, ſit ſubiectum concluſionis, & ſubiectum maioris, ſit attributum concluſionis.

Tertia figura in qua medium ſubiicitur in vtraque ſumptione, ſex habet modos, qui deſignantur his vocabulis.

Darapti, Felaptõ, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſõ.

Primus, Darapti, vtramque ſumptionem vniuerſalem habet, & concluſionem particularem affirmantes; vt omnis homo eſt ſubſtantia; omnis homo eſt animal; ergo aliquod animal eſt ſubſtantia. Secundus Felapton, colligit concluſionem particularem negantem, ex propoſitione vniuerſali negãte, & aſſumptione item vniuerſali, ſed aiente; vt nullum bonum eſt malum; ſed omne bonum eſt iuſtum; ergo quoddam iuſtum non eſt malum. Tertius Diſamis; vt aliquod animal eſt homo; omne animal eſt ſubſtantia; ergo aliqua ſubſtantia eſt homo. Quartus Datiſi; vt omnis homo eſt viuens; quidam homo eſt albus; ergo quoddam album eſt viuens. Quintus Bocardo; vt quidam homo non eſt lapis; omnis homo eſt animal; ergo quoddam animal non eſt lapis. Sextus Feriſon; nullum animal eſt arbor; aliquod animal eſt homo; ergo aliquis homo non eſt arbor. Sunt qui admittant in hac figura 4. modos indirectos, ſed reuera ab aliis non differunt, niſi conuerſis eorum concluſionibus, vel tranſpoſitis præmiſſis. Cæterùm hæc tertia figura fulcitur illa maxima: quæ ſunt eadem vni tertio ſunt eadem inter ſe.

Concluſio autem, in hac figura, colligitur ex prædicatis ſumptionum, adeò vt prædicatum aſſumptionis ſit ſubiectum concluſionis, & attributum maioris ſit attributum concluſionis.

Generales præceptiones ſeu leges omnibus figuris communes hæ ſunt.

Prima ex duabus ſumptionibus particularibus nihil, vi formæ, colligitur in vlla figura; vt non valet, aliquod animal eſt homo; aliquis equus eſt animal; ergo aliquis equus eſt homo. Ratio huius regulæ eſt, quia non eſt neceſſarium ſi aliqua duo in aliquo tertio particulariter conueniant propterea inter ſe conuenire, vt patet de duabus ſpeciebus oppoſitis, ſub aliquo genere proximè contentis, putà homine & equo. Notandũ autem eſt, dici ex ſumptionibus particularibus, non autem ſingularibus, quia ex puris ſingularibus rectè aliquid infertur, vt patet in eo ſyllogiſmo, qui vocatur expoſitorius, qualis eſt hic, Petrus eſt ſapiens; hic homo eſt Petrus; ergo hic homo eſt ſapiens.

Secunda ex duabus ſumptionibus negantibus nihil, vi formæ, concluditur. Vnde nihil valet hic ſyllogiſmus; nullus homo eſt arbor; nulla pirus eſt homo; ergo nulla pirus eſt arbor. Ratio eſt, quia non eſt neceſſarium, ſi aliqua duo extrema ab vno tertio remoueantur per negationem, propterea à ſe inuicem illa remoueri, cùm ea, quæ ad inuicem conueniunt, de eodem tertio rectè negari poſſint.

Tertia ſi altera præmiſſarum fuerit particularis, concluſio quoque particularis erit. Vnde non rectè colligitur, omne animal eſt corpus; aliqua ſubſtantia eſt animal; ergo omnis ſubſtantia eſt corpus: quia ſubſtantiæ ſpiritales ſunt incorporeæ. Ratio

autem huius regulæ eſt, quia quando effectus pendet ex duabus cauſis, quarum vna eſt vniuerſalis, altera particularis, ſemper ille eſt ſimilis cauſæ particulari, non vniuerſali; vt, filius ſimilis eſt patri, non Soli, quia pater eſt cauſa particularis, & Sol vniuerſalis.

Quarta ſi altera ſumptionum fuerit negans, concluſio etiam erit negans; quare non ſequitur, nullum animal eſt arbor; omnis homo eſt animal; ergo omnis homo eſt arbor. Ratio huius regulæ eſt; quia conſequens, ſeu concluſio eſt effectus antecedentis, ſeu præmiſſarum: effectus autem deteriorem partem ſuæ cauſæ imitatur; eſt verò propoſitio negans deterior affirmante.

Quinta medium numquam ingreditur concluſionem; vnde non valet, omne animal eſt ſubſtantia; omnis homo eſt animal; ergo omne animal eſt ſubſtantia: quia concluſio eſt eadem cum maiore propoſitione, quod eſt contra definitionem ſyllogiſmi ſuprà explicatam. Accedit ratio huius regulæ, quia in omni ſyllogiſmo, quilibet trium terminorum debet bis dumtaxat ſumi; nam ex medio cum vtroque extremo, in duabus præmiſſis, bis repetito, colligimus in concluſione extrema rectè inter ſe colligari; medium enim tale aſſumi debet ad inferendam concluſionem, vt ex coniunctione illius cum vtroque extremo in ſumptionibus, appareat coniunctio vtriuſque extremi in illa concluſione.

Sexta medium in ambabus præmiſſis, vel ſaltem in eorum altera complete diſtribui debet, id eſt, vniuersè accipi, pro omni re pro qua accipi poteſt; defectu cuius peccat hic ſyllogiſmus, omne animal fuit in arca Noë; aſinus Balaã erat animal; ergo

aſinus Balaam fuit in arca Noë. Eſt enim Sophiſma, quod fit à termino non completè diſtributo, ad terminum completè diſtributum, animal enim, in maiori propoſitione non accipitur diſtributiuè, completè pro omnibus indiuiduis animalis, ſed pro ſpeciebus, nec tamen omnibus, puta iis quæ in aquis degunt, & quibuſdam aliis.

Septima nullus terminus qui non fuerit diſtributus in antecedente, diſtribui debet in conſequente: quare perperam concludit hic ſyllogiſmus; omne animal eſt ſenſus capax; omne animal eſt ſubſtantia; ergo omnis ſubſtantia eſt ſenſus capax: nomen enim ſubſtantia, quod non diſtribuitur, id eſt, non accipitur vniuerſaliter, in aſſumptione, diſtribuitur in concluſione: vnde patet, cur aliqui modi, vt, Darapti, Felapton, Baralip, & Fapeſmo non habeant concluſiones vniuerſales, licet conſtent ex vniuerſalibus propoſitionibus; quia, ſcilicet, fieret argumentum à termino non diſtributo, ad diſtributum, id eſt, à non vniuerſali, ad vniuerſalem, quod eſt vitioſum.

Octaua terminus qui ponitur in recto in antecedento cum medio in obliquo, in vna propoſitione, vel in vtraque, debet poni in recto in concluſione; vnde non ſequitur, nullus pagus eſt maior vrbe; omne regnum eſt maius vrbe; ergo nullum regnum eſt maius pago: quia pagus in concluſione ponitur in ablatiuo, cùm tamē in maiore ſit in recto.

Nona in nullo ſyllogiſmo ſimplici debent eſſe termini plures tribus; quia, vt antea dictum eſt, materia remota ſyllogiſmi, ſunt tres ſoli termini, maior, minor, & medius: vnde ſi adhibeantur quatuor termini, vel ſaltem vnus homonymus,

qui pluribus æquiualeat, non erit legitimus ſyllogiſmus: id enim eſt vitium, quando terminus aliter ſumitur in præmiſſis, aliter in concluſione.

Quod verò attinet ad proprias figurarum ſingularum regulas, rectè concludendi in prima figura, ſunt duæ, prior ex maiore propoſitione particulari, nihil vi formæ concluditur. Poſterior, ex minore negante, nihil efficitur; defectu prioris, non valet hic ſyllogiſmus; aliquod animal eſt homo; omnis leo eſt animal; ergo aliquis leo eſt homo: contra poſteriorem peccat iſte, omne animal eſt ſubſtantia; nulla arbor eſt animal; ergo nulla arbor eſt ſubſtantia. Sunt autem intelligendæ duæ illæ regulæ de ſolis directis modis.

Secundæ figuræ tres ſunt præceptiones. Prima, ex maiore propoſitione particulari, in hac figura, nihil vi formæ colligitur. Vnde non valet; aliquod animal eſt homo; nullum brutum eſt homo; ergo quoddam brutum non eſt animal. Secunda, ex duabus ſumptionibus affirmantibus, in hac figura, nihil vi formæ infertur: vt, omnis homo eſt corpus; omnis planta eſt corpus; ergo omnis planta eſt homo. Tertia, in ſecunda figura, concluſio ſemper debet eſſe negans, vt patet ex ſingulis quatuor illius modis.

Tertiæ figuræ duæ ſunt regulæ; prior, ex minore negante, non valet ſyllogiſmus in hac figura: qualis eſt hic; omnis homo eſt ſubſtantia; nullus homo eſt arbor; ergo quædam arbor non eſt ſubſtantia. Poſterior; peccat ſyllogiſmus in hac figura, cuius concluſio non eſt particularis; vt omnis homo eſt animal; omnis homo eſt ſubſtantia; ergo omnis ſubſtantia eſt animal.

Ariſtoteles lib. 1. de priori analyſi cap.1. diſtri-buit ratiocinationem in perfectam, & imperfe-ctam: illam vocat, quæ non eget reductione ad aliam perfectiorem, vt euidentia, & veritas con-cluſionis illius appareant. Imperfectam contrà, quæ, licet neceſſariam inferat concluſionem, non tamen ita clarè, ideóque non facilè illi aſſentitur intellectus. Perfectæ ratiocinationes fiunt in qua-tuor modis directis primæ figuræ, Barbara, Cela-rent, Darii, Ferio; quæ idcirco vocantur perfecti modi: reliqui verò tàm primæ indirecti, quàm ſe-cundæ & tertiæ imperfecti ſunt, quia in illis fiunt ſyllogiſmi imperfecti. Sciendum igitur eſt, im-perfectos modos reduci ad perfectos, non eſſe aliud, quàm modos ſecundæ & tertiæ figuræ, & quinque indirectos primæ reduci ad aliquem qua-tuor perfectorum primæ figuræ, vt eorum con-cluſio euidentior fiat. Hoc autem fieri poteſt tri-fariam, vel reductione per conuerſionem, & tranſ-poſitione præmiſſarum, vel ducendo ad incom-modum, ſeu impoſſibile, vt loquuntur, vel deni-que per ſyllogiſmum expoſitorium.

De reductione Syllogiſmorum.

Quod igitur attinet ad reductionem per oſten-ſionem, ſeu conuerſionem, & tranſpoſitionem præmiſſarum; quâ ſyllogiſmi alicuius imperfecti, variatis tantùm per conuerſionem concluſionis terminis, aut alicuius, vel etiam ambarum ſum-ptionum, vel iiſdem præmiſſis, ſi opus fuerit, tranſpoſitis, infertur eadem concluſio in aliquo modo perfecto primæ figuræ; vt, Cæſare, ad Cela-rent: fundamentum habet in hac regula: quid-quid ſequitur ex conſequenti bonæ conſequentiæ,

ſequitur etiam ex antecedenti: hinc enim eſt, quòd cùm propoſitio conuertens ſe habeat ad conuerſam, ſicut conſequens ad antecedens, quidquid ſequetur ex conuertente propoſitione, ſequetur etiam ex conuerſa: vt autem intelligatur quomodo fiat iſta reductio: notandum eſt primò imperfectos modos, ad perfectos reuocari, qui ab eadem littera inchoantur: vt qui incipiunt à littera, B, reuocentur ad Barbara: qui à, C, reducantur ad Celarent, & ita de cæteris, ad Darij, & Ferio. Notandum ſecundò, in iſtis vocabulis artificioſis, quatuor eſſe conſonantes, S, P, M, C, quæ in reducendis, hac ratione, modis ſunt vſui: quarum, S, indicat propoſitionem reſpondentem ſyllabæ in qua reperitur, conuertendam eſſe ſimpliciter, ſeu conuerſione ſimplici. P, denotat, enunciationem reſpondentem ſyllabæ, in qua ineſt, conuertendam eſſe conuerſione per accidens. Tertia littera, M, indicat, ratiocinationem reſpondentem modo, in quo reperitur, reduci ad perfectiorem per tranſpoſitionem præmiſſarum, ita vt, ex maiore fiat minor, & è contrà. Quarta littera, C, ſignificat modum imperfectum, in cuius media ſyllaba, vel vltima, reperitur, non reuocari ad perfectum reductione per conuerſionem; ſed tantùm ductu ad incommodum, cuiuſmodi ſunt, duo illi, Baroco, & Bocardo, qui nequeunt reduci per conuerſionem; quia conſtant duabus præmiſſis, vna, vniuerſali affirmante; altera, particulari negante: particularis enim negans, neceſſariò manere deberet, cùm non poſſit conuerti conuerſione ſimplici, aut per accidens; quarum tamen conuerſionum duntaxat, eſt vſus in his ſyllogiſmis; altera verò vniuerſalis af-

firmans, non poſſet conuerti, niſi conuerſione per accidens, quâ conuertitur vniuerſalis in particularem, ſi autem eo modo conuerteretur, eſſent duæ præmiſſæ particulares, quod legibus bonæ conſequentiæ repugnat; quæ ad iuuandam memoriam comprehenduntur his verſiculis.

Simpliciter verti vult, S; P, verò per acci;
M, vult tranſponi; C, per impoſſibile duci.

Si igitur reducenda ſit ratiocinatio in Baralip, imprimis aduertendum eſt, non reperiri litteram, C, quare poterit reduci per conuerſionem. Ex tribus reliquis, vnica reperitur in poſtrema ſyllaba, ſcilicet P, quâ declaratur modũ illum perfici, ſeu reduci ad perfectum, ſi conuertatur concluſio conuerſione per accidens; vt hic ſyllogiſmus in Baralip. omne corpus eſt ſubſtantia; omne animal eſt corpus; ergo quædam ſubſtantia eſt animal. reuocabitur ad Barbara, ſi hæc concluſio, quædam ſubſtantia eſt animal, conuertatur in hanc; omne animal eſt ſubſtantia. Celantes perficietur reductione ad Celarent, ſi concluſio conuertatur ſimpliciter; quod indicatur per litteram, S, in vltima ſyllaba. Dabitis ad Darij, per conuerſionem etiam ſimplicem concluſionis, quod etiam indicat littera, S, in vltima ſyllaba. Modus autem Fapeſmo pluribus indiget, vt reducatur ad Ferio: nam littera, M, admonet, tranſponendas eſſe præmiſſas, ita vt ex maiore fiat minor, & contrà: littera P, indicat, maiorem conuertendam eſſe per accidens, quemadmodum & littera, S, minorem conuertendam eſſe ſimpliciter; vt, omne animal eſt corpus; nullus lapis eſt animal; ergo quoddam corpus non eſt lapis. hac ratione reducetur ad Ferio, conuerſa, nem-

pe, minore ſimpliciter, quæ erat, nullus lapis eſt animal, in hanc, nullum animal eſt lapis; & ea poſita pro maiore, quæ verò erat maior, nempe, omne animal eſt corpus; conuertenda ſic erit per accidens; quoddam corpus eſt animal, & pro minore ſumenda, eáque adiicienda concluſio priùs tradita: ſicque exiſtet modus Ferio; nullum animal eſt lapis; quoddam corpus eſt animal; ergo quoddam corpus non eſt lapis. Reliqui modi, ex traditis exemplis, facilè reduci poſſunt, hoc reductionis genere.

Quod attinet ad ſecundam perficiendæ ratiocinationis rationem, ſeu alterum reductionis genus per impoſſibile, fit quando conceſſis duabus præmiſſis, negat quis concluſionem; tunc enim ſumenda eſt contradictoria concluſionis loco maioris, vel minoris, quo peracto, conficiendus eſt ſyllogiſmus in aliquo directo primæ figuræ modo, in quo concludatur contradictio alicuius ſumptionis conceſſæ: ſic enim fiet, vt neceſſariò cogatur fateri, duo contradictoria ſimul eſſe vera, vel certè cõcluſionem concedere, quam negarat, veram eſſe: ad quos autem modos perfectos per impoſſibile reuocari oporteat imperfectos, indicatur per illa vocabula artificioſa; NESCIBBATIS, ODIEBAM, LETARE ROMANIS: quorum primum conſtans quinque ſyllabis, ſignificat quinque modos indirectos, primæ figuræ, ita vt prima ſyllaba, nes, ſignificet primum modum Baralip, reuocandum eſſe ad eum perfectum modum, qui vniuerſaliter, & negatiuè concludit, nempe, Celarent. Secunda, ci, oſtendit, ſecundum modum indirectum primæ figuræ, Celantes, reuocandum eſſe ad illum perfe-

ctum modum primæ figuræ, cuius concluſio eſt particularis affirmans, ſcilicet, ad Darij, & ita deinceps: verbi causâ, eſto hic ſyllogiſmus in Celantes; nullum animal eſt lapis; omnis homo eſt animal; ergo nullus lapis eſt homo: ſi quis conceſſis duabus præmiſſis, neget concluſionem, ſic illum redargues ducendo ad incommodum: ſi falſa eſt hæc, nullus lapis eſt homo, igitur vera erit eius contradictoria, aliquis lapis eſt homo; alioqui duæ contradictoriæ eſſent ſimul veræ, quod repugnat regulis ſuprà allatis: ſic igitur argumentor in Darij: omnis homo eſt animal, vt conceſſiſti; aliquis lapis eſt homo, vt cogeris fateri; igitur aliquis lapis eſt animal: concluſio huius ratiocinationis eſt falſa: ergo illius falſitas, vel pendet ex forma ratiocinationis, vel ex materia, non ex forma, quia aptè in modo Darij compoſita erat; ergo ex materia: igitur altera præmiſſarum erat falſa, aut vtraque, non maior, vt conceſſiſti: ergo minor, nempe, aliquis homo eſt lapis: ergo eius contradictoria, quam negaueras, erat vera, ſcilicet, nullus lapis eſt homo. Notabis autem in reducendis, per impoſſibile, modis indirectis primæ figuræ ad perfectos; ponendam eſſe contradictoriam concluſionis, loco maioris: maiorem verò quæ anteà erat loco minoris, ſi tamen vnicum modum, nempe, Celantes, excipias, qui vt ad Darij reducatur, contradictio pro minore ſumenda erit, & eadem quæ anteà erat minor, ponenda loco maioris, vt patet in allato exemplo.

Secundum vocabulum conſtans quatuor ſyllabis, ODIEBAM, continet quatuor modos ſecundæ figuræ, & prima quidem ſyllaba reſpondet primo

modo, Ceſare, quem oſtendit reuocandum ad Ferio. Secunda reſpondet ſecundo, Cameſtres, & indicat reuocandum eſſe ad Darij. Tertia, tertio, Feſtiuo, ad Celarent. Quarta, quarto, Baroco, ad Barbara: reuocantur autem huius ſecundæ figuræ modi ad perfectos primæ per impoſſibile, aſſumptâ contradictione concluſionis pro minore, ita vt, quæ anteà erat maior retineatur, vt in Baroco; omnis homo eſt animal; aliquis lapis non eſt animal; ergo aliquis lapis non eſt homo: ſic reducitur ad Barbara; omnis homo eſt animal; omnis lapis eſt homo; ergo omnis lapis eſt animal: cuius concluſionis falſitas pendet ex falſitate minoris, quam cogitur aduerſarius fateri, negatâ in altero ſyllogiſmo eius contradictoriâ verâ.

Tertium vocabulum, ſex ſyllabis contentum, reſpondet ſex modis ſextæ figuræ, qui ad perfectos primæ figuræ reducuntur, aſſumptâ contradictoriâ concluſionis pro maiore, retinendo eandem propoſitionem pro minore, quæ anteà erat minor: & ne confundas illam variationem ſumptionum in vtraque figura, iuuant hi verſiculi.

Seruat maiorem, variátque ſecunda minorem:
Tertia maiorem variat, ſeruátque minorem.

Sic ergo modus Bocardo; aliquis homo non eſt lapis; omnis homo eſt animal; ergo aliquod animal non eſt lapis: reuocatur ad Barbara; omne animal eſt lapis; omnis homo eſt animal; ergo omnis homo eſt lapis: cuius concluſionis falſitas oſtendi debet, vt priùs in aliis.

Quod ſpectat ad tertium reductionis genus per ſyllogiſmum expoſitorium, fit tantùm per ſyllogiſmos habentes medium terminum ſingularem,

vel vnam extremitatem, vel vtramque ſingularem: eſt enim ſyllogiſmus expoſitorius, qui conſtat tali medio ſingulari; vt ſi quis ita colligat in Darapti; omne animal eſt ſenſus capax; omne animal eſt ſubſtantia; ergo quædam ſubſtantia eſt ſenſus capax: ſic confirmari poterit per ſyllogiſmum expoſitorium; omne animal eſt ſenſus capax; & omne animal eſt ſubſtantia; ergo hoc animal eſt ſenſus capax; & hoc animal eſt ſubſtantia: vel ſic, hoc animal eſt ſenſus capax; hoc animal eſt ſubſtantia; ergo quædam ſubſtantia eſt ſenſus capax, vel per aliud indiuiduum, vt, Bucephalus eſt ſenſus capax; Bucephalus eſt ſubſtantia; ergo quædam ſubſtantia eſt ſenſus capax. Vocatur autem expoſitorius ſyllogiſmus; quoniam eſt adeò perſpicuus & euidens, vt rem ipſam ſenſibus exponere videatur; vnde à nonnullis vocatur demonſtratio ſenſibilis. Cæterùm cùm dicitur in huiuſmodi ſyllogiſmo, ſumi debere pro medio vocem talem, quæ ſumatur pro re aliqua ſingulari, id eſt, quæ nec ſit res plures, nec ſit idem re cum ea, quæ eſt res plures, alioqui enim eſſet fallacia; vt in hoc; eſſentia diuina eſt Pater; eſſentia diuina eſt Filius; ergo Filius eſt Pater: nam eſſentia diuina ſumitur pro quadam re indiuidua, id eſt, deitate, quæ tamen eſt plures res, id eſt, plura ſuppoſita diuina. Porrò obſeruandum eſt, huiuſmodi ſyllogiſmum expoſitorium fieri poſſe in omnibus tribus figuris; in prima & tertia, duobus modis; in ſecunda, tribus. in prima quidem; vt Petrus eſt ſapiens; hic homo eſt Petrus; ergo hic homo eſt ſapiens. Secundò, Socrates non colit multos deos; hic Philoſophus eſt Socrates; ergo hic Philoſophus non

colit

non colit multos deos. in ſecunda, primus eſt; M. Tullius eſt Cicero; hic homo eſt Cicero; ergo hic homo eſt M. Tullius. Secundus, Demoſthenes non eſt Iſocrates; hic orator eſt Iſocrates; ergo hic orator non eſt Demoſthenes. Tertius, Socrates eſt filius Sophroniſci; Plato non eſt filius Sophroniſci; ergo Plato non eſt Socrates. In tertia, Paulus eſt ſapiens; Paulus eſt pauper; ergo aliquis pauper eſt ſapiens. Secundus, Crœſus non eſt ſapiens; Crœſus eſt diues; ergo quidam diues non eſt ſapiens.

De inuentione medij.

Hactenus egimus de ſyllogiſmo ſecundùm formam; in ſequentibus, agemus de eodem ratione materiæ: & hîc quidem de præcipua parte materiali remota, ſcilicet, medio, ſeu argumento; de cuius inueſtigandi ratione vt aliquid breuiter dicamus. Notandum eſt primò, quatuor eſſe concluſionum genera, quæ ratione diuerſæ quantitatis, & qualitatis varium medium habere poſſunt: aut enim probanda concluſio, eſt vniuerſalis affirmans, & in prima duntaxat figura reperitur; aut vniuerſalis negans, & tam in prima quàm in ſecunda locum habet: aut particularis affirmans, & in prima & tertia tantùm colligitur: aut denique particularis negans, & in omnibus figuris inferri poteſt. Notandum ſecundò, entium claſſem eſſe triplicem: quædam enim ſunt merè ſingularia & indiuidua: quædam merè vniuerſalia; vt decem ſuprema genera: quædam intermedia; vt quæ inter ſingulare & ſummum genus interiecta ſunt. Singularia ſemper ſubiiciuntur, & nunquam prædicantur; niſi fortè prædicatione accidentali, ne-

H

que poſſunt demonſtrare. Summa genera ſemper prædicantur, nunquam ſubiiciuntur vniuocè, neque enim datur progreſſus ſynonymarum prædicationum in infinitum, eadem ſemper demonſtrant, nunquam verò demonſtrantur; niſi fortè ſecundùm opinionem argumento Dialectico. Intermedia autẽ modò ſubiici, modò prædicari poſſunt, ac proinde poſſunt demonſtrare, & demonſtrari. Notandum tertiò, inſpiciendum eſſe problema, videndúmque ex qua, non ſolùm diſciplina petitum ſit: ſed etiam ex quo genere entis partes eius conſtent; deinde vocum ambiguitas diſtinctione tollenda; tum definitiones & cauſæ terminorum ponendæ ſunt; ad hæc quærendum medium, vel commune, ex Topicis, vel proprium, ex ea arte vnde problema petitum eſt: deinde videndum, quid ſit conſequens prædicato, quid ſubiecto, quid item antecedens prædicato, quid ſubiecto, quid repugnans prædicato, quid ſubiecto. Eſt autem conſequens, quod tanquam ſuperiùs affirmatur de inferiori neceſſariò, vel probabiliter; vt animal, comparatione ſuarum ſpecierum. Antecedens eſt, vel quod eſt inferius, & minùs latè patet; vel ſaltem quod æquè latè patet, vt eſt terminus reciprocus, ſeu conuertibilis: vt homo dicitur antecedens animalis, rationalis, & riſibilis. repugnans eſt, quod de eo cui repugnat nunquam verè affirmari poteſt; vt lapis de homine. Notandum quartò, vnum & idem medium, ad varias concluſiones inferendas poſſe accommodari, ſi alio atque alio modo diſponatur, vt patet ex ſingulis modorum exemplis: quibus ita explicatis, trademus ſex regulas, quibus tota doctrina de inuentione medij declarabitur.

Prima ad concludendam vniuerſalem affirmantem, quod ſit ſolùm in Barbara, ſumendum eſt medium, conſequens ad ſubiectum, & antecedens ad prædicatum, id eſt, ſumendus eſt terminus, qui ſit ſubiecto vniuerſalior, & de illo prædicetur, inferior verò ſit prædicato; vt, ad probandam hanc concluſionem, omnis planta eſt corpus, aſſumo, viuens, quod eſt genus plantæ, & ſpecies corporis: ſicque colligo, omne viuens eſt corpus; omnis planta eſt viuens; ergo omnis planta eſt corpus.

Secunda regula, ad inferendam concluſionem particularem affirmantem in tertia figura, ſumendum eſt medium, quod ſit antecedens ad vtrumque, ſcilicet, ſubiectum, & prædicatum; vt ad concludendum, aliquod corpus eſt ſubſtantia, ſumo hunc terminum, animal, vtroque inferiorem; ſicque colligo in Darapti; omne animal eſt ſubſtantia; omne animal eſt corpus; ergo aliquod corpus eſt ſubſtantia.

Tertia regula, ad colligendam vniuerſalem negantem in Ceſare, & Celarent; ſumendum eſt medium repugnans prædicato; & conſequens ad ſubiectum; vt ad probandum, nullum hominem eſſe lapidem, aſſumo hunc terminum, animal, qui eſt genus, ſuperior terminus, & conſequens hominis, repugnans verò lapidi: ſicque colligo in Celarent; nullum animal eſt lapis; omnis homo eſt animal; ergo nullus homo eſt lapis. Sic in Ceſare fieri poteſt facillimè, conuerſâ maiore ſimpliciter.

Quarta, vt inferatur concluſio vniuerſalis negans in Cameſtres & Celantes, ſumi debet medium, repugnans ſubiecto, & conſequens ad præ-

dicatum; vt ad probandum, nullum hominem eſſe lapidem, ſume inanimatum; omnis lapis eſt inanimatus; nullus homo eſt inanimatus; ergo nullus homo eſt lapis.

Quinta concluſio negans particularis, in omni figura, inferri poterit, aſſumpto medio, quod ſit antecedens ad ſubiectum, & repugnans prædicato; vt hæc, aliquod animal non eſt lapis, per hoc medium, homo, in Felapton, nullus homo eſt lapis; omnis homo eſt animal; ergo aliquod animal non eſt lapis: ſic in Fapeſmo, Friſeſom, & Feſtiuo.

Sexta regula, ad concludendam propoſitionem affirmantem particularem in Baralip, & Dabitis, ſumendum eſt medium, antecedens ad ſubiectum, & conſequens ad prædicatum; vt ſi probanda ſit hæc, aliquod corpus eſt leo, ſumetur animal; ſicque in Baralip inferri poterit; omne animal eſt corpus; omnis leo eſt animal; ergo aliquod corpus eſt leo.

De quadruplici Syllogiſmo, Demonſtratiuo, Pſeudographo, &c.

Quoniam quadruplex eſt materia, ad quam ſyllogiſmi forma contrahi poteſt; quadruplex quoque hinc conſurgit ſyllogiſmus: primus eſt Demonſtratiuus: ſecundus, Pſeudographus: tertius, Dialecticus: quartus, Sophiſticus. Syllogiſmus demonſtratiuus, ſeu neceſſarius eſt ratiocinatio ſcientiam gignens, id eſt, certam & euidentem cognitionem; vel ratiocinatio conſtans ex propoſitionibus veris, propriis, & neceſſariis; quarum duarum definitionum, prior petitur ex fine demonſtrationis, qui eſt ſcientiam efficere: poſterior ex

materia eiuſdem. Eſt autem duplex demonſtratio, vna propter quid, ſeu à cauſa, vel à priori; quæ, ſcilicet, explicat cauſam per quam res eſt: altera, quia, ſeu quod ſit, ſeu à poſteriori, vel ab effectu. Demonſtratio propter quid, eſt ratiocinatio faciens planè, perfectè, & ſimpliciter ſcire; ſcire autem, hoc modo ſumptum, eſt cognoſcere rem per cauſam per quam eſt, & illius cauſam eſſe, & non poſſe omninò aliter ſe habere: qualis eſt hæc; omne animal rationale eſt admirationis capax; omnis homo eſt animal rationale; ergo omnis homo eſt admirationis capax. Demonſtratio quia, dicitur ratiocinatio, quæ pro medio continet effectum, vel cauſam remotam; cuiuſmodi ſunt hæ, quidquid illuſtratur in orbem eſt rotundum; Luna quando creſcit illuſtratur in orbem; ergo Luna eſt rotunda: vel omne reſpirans eſt animal; nullus paries reſpirat; ergo nullus paries eſt animal. Nam in priori, probatur rotunditas Lunæ per illuſtrationem in orbem, cùm tamen illa ſit huius cauſa: in poſteriori, ponitur cauſa remota, nam licet reſpiratio conueniat ſoli animali, non tamen omni, vtpote piſcibus intra aquam ſemper degentibus.

Pſeudographus ſyllogiſmus, quem Paralogiſmum Græci vocant, contrarius eſt demonſtrationi; nam demonſtratio conſtat ex ſumptionibus neceſſariis, ex quibus infertur etiam neceſſaria concluſio: Pſeudographus autem, ex ſumptionibus quæ apparent neceſſariæ, cùm tamen non ſint tales; vnde talem quoque concluſionem infert. Itaque ſic definitur, ratiocinatio conſtans ex principiis ſcientiæ malè intellectis; vt ſi quis ita argu-

mentetur; omnes lineæ ductæ ab eodem puncto ad idem punctum ſunt æquales; linea recta & obliqua ducuntur ab eodem puncto ad idem punctum; igitur ſunt æquales. Pſeudographus eſt ſyllogiſmus; maior enim non intelligitur de quibuſcumque lineis, ſed de rectis tantùm: huiuſmodi autem falſas ratiocinationes diſſoluere, ſpectat ad illas ſcientias, ex quarum principiis malè intellectis progrediuntur.

Syllogiſmus Dialecticus, Topicus, ſeu probabilis definitur, ratiocinatio conſtans ex ſumptionibus probabilibus, id eſt, quæ nec ſunt euidenter veræ, nec euidenter falſæ, ſed mediæ. Sunt autem probabilium quinque genera: primum quod videtur omnibus, tam doctis, quàm indoctis; vt Deum eſſe colendum. Secundum eorum quæ videntur non omnibus, ſed pluribus, tàm doctis, quàm indoctis; vt, honores expetendos eſſe. Tertium eorum quæ ſapientibus tantùm videntur, idque omnibus; vt, ſapientiam meliorem eſſe diuitiis. Quartum, quod non omnibus ſapientibus, ſed pluribus ſolùm apparet; vt fœlicitatem poſitam eſſe in bonis animi. Quintum, eſt eorum quæ videntur maximè probatis & ſapientiſſimis in aliqua ſcientia; vt, cælum eſſe quintam eſſentiam viſum eſt Ariſtoteli; & noſtrum ſcire nihil aliud eſſe, quàm reminiſci, viſum eſt Platoni.

Sophiſticus ſyllogiſmus, Topico contrarius, eſt ratiocinatio, quæ ex probabilibus, & iis quæ videntur probabilia, colligere videtur, nec tamen colligit. Hic autem triplex eſt: primus, qui peccat in materia, non in forma; vt, ſi quis ita colligat; omnis habens viſum videt; omnis dormiens habet

viſum; ergo omnis dormiens videt. Secundus, qui peccat in forma, non in materia; vt, omnis prudentia eſt bona; omnis fortitudo eſt bona; ergo omnis fortitudo eſt prudentia. Tertius, qui tàm in materia, quàm in forma peccat; tùm quia componitur ex propoſitionibus quæ videntur probabiles, nec tamen ſunt; tùm quia non ſeruat rectam colligendi rationem; vt ſenſibilia mouentur; cadauera mouentur; ergo cadauera ſentiunt. Notabis etiam ex iis ſyllogiſmis ſophiſticis ſolum primum eſſe verum; quia nimirum retinet formam: ad veram enim rationem ſyllogiſmi, ſatis eſt vt forma ſeruetur, licet materia non valeat.

INTERVALLVM VII.

Quid Problema, & quotuplex; quid locus, & quotuplex.

DICTVRI de locis Dialecticis, ex quibus eruuntur probabilia argumenta, priùs explicandum eſt, quid Propoſitio, quid Quæſtio, ſeu Problema Dialecticum, & quotuplex.

Propoſitio definitur ab Ariſtotele lib. 1. Topic. cap. 10. interrogatio probabilis; vt, nonne diligunt parentes liberos ſuos? Quæſtio, ſiue problema, eſt Theorema, de quo aut neutram in partem ſentiunt homines; vt, ſintne ſtellæ magnitudine pares, an non? aut contrà plerique ac ſapientes; vt, vtrùm ſol ſit maior tota terra? aut vtrique ipſi ſecum diſcordant, id eſt, vel plerique inter ſe; vt ſintne honores anteponendi diuitiis; vel ſapientes inter ſe; vt ſintne cœli conflati ex eadem materia cum

elementis, an non? vnde vocatur Theorema, quaſi conſideratione dignum, quia cùm ſit dubium, proponitur ſub forma contradictionis, vt vtraque ex parte expendatur: vnde ab aliis definitur interrogatio vtriuſque partis contradictionis.

Problematum autem quatuor ſunt genera, Definitio, Proprium, Genus, & Accidens; ex quibus fiunt omnes propoſitiones Dialecticæ: nam ad interrogationem generis, reuocatur ab Ariſtotele 1. Topicor. cap. 3. interrogatio differentiæ genericæ; vt sítne ſenſus capax differentia communis hominis, cum alia re? ſic interrogatio ſpeciei de indiuiduo; vt sítne Samuel ille qui apparuit Sauli quidam ex hominibus, an non? ſic interrogatio analogi, de quolibet ſuo analogato; vt sítne medicina ſana, an non? Quanquam alio etiam modo diuiduntur quæſtiones Dialecticæ, in morales; vt sítne parentibus obtemperandum potiùs, quàm legibus, ſi inter ſe diſcrepent? in naturales; vt síntne decem cœli, an non? & logicas; vt num tres tantùm, an quatuor ſint ſyllogiſmorum figuræ?

Cæterùm, duplex eſt pars Dialecticæ, ſcilicet, iudicium, id eſt, collocatio argumenti; & inuentio, ſeu excogitatio eiuſdem argumenti. Argumentum autem Dialecticum, eſt probabile inuentum ad faciendam fidem; vt ait Cicero in partitionibus. Locus verò eſt ſedes argumenti: ſicut enim notato loco rerum abſconditarum, facilis eſt inuentio: ſic cognitis locis, non eſt difficilis argumentorum excogitatio. vnde locus definitur, ſignum quoddam commune indicans argumenta, quibus probabiliter de rebus diſputare poſſumus.

Locus eſt duplex; vnus, qui dicitur maxima; al-

ter differentia maximæ. Locus maxima, vel locus maximæ, eſt propoſitio per ſe nota, continens vim probationis multarum aliarum; vnde talis propoſitio vocatur maxima, quia eſt ſupra maiorem & minorem; quoniam, ſcilicet, quilibet ſimilis continet plurimas; vt hæc propoſitio, de quocunque prædicatur definitio, de eodem prædicari poteſt & definitum. Eſt maxima, quia ex ea pendent ſequentes conſequentiæ; planta eſt viuens; ergo planta eſt corpus animatum; iuſtitia eſt virtus; ergo iuſtitia eſt habitus bonus. Sic hæc propoſitio eſt maxima; quod maxima pars eorum qui in quauis arte verſantur dicunt, verum eſt. Ex qua pendent ſequentes, quod dicit maxima pars Iuriſperitorum eſſe iuſtum, vel iniuſtum, id iuſtum eſt, vel iniuſtum: quod fere omnes medici dicũt eſſe ſalubre, id ſalubre eſt. Locus differentia maximæ, eſt receptaculum pluriũ maximarum; vt locus definitionis, ex quo eruuntur hæ maximæ. cui conuenit definitio, conuenit & definitum; &, cui non conuenit definitio, non conuenit definitum; & ſimiles. Vnde huiuſmodi loci vocantur differentiæ maximarum; quia ipſas maximas diſtribuunt in certas veluti claſſes; vt à definitione, à diſtributione, à contrariis, & cætera. Hinc cùm de prioribus ſermo eſt dicimus locum à definitione, à diſtributione, &c. cùm verò de poſterioribus dicimus locum definitionis, diſtributionis, contrariorum, &c.

Locorum maximarum duo ſunt genera, alij continent argumenta ἄτεχνα, id eſt, artificioſa, à Cicerone inſita; quia ex ipſa quæſtione eliciuntur; vt, locus à definitione: alij ἄτεχνα, id eſt, artis ex-

pertia, Ciceroni aſſumpta & remota; quia, ſcilicet, extrinſecus petuntur; vt, ab authoritate. Loci prioris generis ſunt viginti, quorum tres petuntur ex re ipſa; vt, locus à definitione, ab enumeratione partium, & à notatione: decem ex iis quæ rei coniuncta ſunt, ſcilicet, à coniugatis, à partibus, à toto, à cauſis, ab effectis, ab antecedentibus, à conſequentibus, à præcurrentibus, à comitantibus, à ſubſequentibus: tandem 7. ab iis quæ ab ea re ſeiuncta ſunt, ſcilicet, à ſimili, à maiori, à minori, à pari, à diſſimili, ab oppoſitis, à repugnantibus; poſterioris generis duo ſunt, authoritas diuina, & humana. Qui omnes loci, bifariam ſpectari poſſunt, vel vt communes, id eſt, vt ad omnes artes accommodari poſſunt, & hoc modo tantùm ſunt, quæ hiſce vocibus ſignificantur; ſícque ad dialecticum pertinent; vel vt proprij, id eſt, vt ad certam alicuius artis materiam accommodantur; vt ſi efferantur hoc modo, locus definitionis virtutis, locus definitionis naturæ, &c. quomodo ad dialecticum non pertinent. Eodem modo diuiditur locus differentia maximæ, & iiſdem nominibus, quare ſingulorum ſemina, in ſequenti puluino, deponemus; indicabimúſque methodum eruendi argumenta ex his locis, & probandi conſequentias argumentorum ex maximis, quæ in ſingulis locis reperiuntur.

PVLVINVS TOPICVS.

De locis Topicis.

Conſeremus noſtrum puluinum, imprimis ſemine definitionis, quam, Laurentius valla, regium

quendam cenſorem quæſtorémq; ærarium, vocat. Eſt autem definitio, oratio, qua quid ſit res, propriè explicatur; ſumimus autem argumentum à definitione 4. modis; duobus à definitione ſubiecti, & duobus à definitione attributi, affirmatè, ſcilicet, & negatè, ſit quæſtio, an virtus ſit laudabilis, néene? Sic probare poteris à definitione ſubiecti, affirmatè; qualitas, qua rectè viuitur eſt laudabilis; ſed virtus eſt qualitas, qua rectè viuitur; igitur virtus eſt laudabilis. Probatur conſequentia hoc axiomate; quidquid conuenit definitioni, conuenit & definito negatè, nulla qualitas qua rectè viuitur, eſt vituperabilis; ſed virtus eſt qualitas, qua rectè viuitur; igitur nulla virtus eſt vituperabilis. Probatur conſequentia, hoc axiomate; quod non conuenit definitioni, non conuenit eius definito. à definitione attributi, eadem quæſtio explicatur, affirmatè; quidquid habet præſentem & conſequentem laudationem, eſt laudabile; ſed virtus habet præſentem & conſequentem laudationem; igitur virtus eſt laudabilis. Axioma, cui conuenit definitio, eidem conuenit & definitum. Negatè, virtus non habet præſentem & conſequentem ignominiam; igitur non eſt vituperabilis. Axioma, cui non conuenit definitio, eidem non conuenit definitum. Sunt & plures aliæ huius loci maximæ; vt, ſi definitio definitioni conuenit, & definitum definito conueniet; & ſi non conuenit definitio definitioni, nec definitum definito couueniet.

Tria verò ſunt neceſſaria in omni perfecta definitione. Primum eſt, vt definitio neque plura quàm definitum complectatur, nec pauciora; ſed de quocunque vnum dicetur, dicatur & alterum;

ideò vitioſa eſt hæc definitio; homo eſt animal eruditum, quia definitum latius patet ſua definitione. hæc autem bona; homo eſt animal rationis capax, quia definitum non patet latius ſua definitione, nec contrà, ſed reciprocantur, hoc eſt, vtrumque de altero viciſſim vniuersè dicitur. Secundum eſt, vt quid res ſit, id eſt, ſubſtantiam eius explicet; vt, homo eſt animal rationis particeps. Tertium vt ſit aperta, id eſt, neque ambiguis nominibus, quæ poſſint trahi ad multas ſignificationes, neque obſcuris & longe petitis conficiatur; ſed propriis & apertis; oportet enim definitionem notiorem eſſe definito. Horum autem trium, duo prima intelligi debent de eſſentiali definitione, quæ conſtat genere & differentia proxima ſpeciem efficiente. Tertium verò accidentali quoque definitioni competere poteſt, quæ conſtat ex proprio, vel loco proprij, frequentia accidentium communium.

Modus faciendæ definitionis, eſt, vt primum, rei natura diligenter conſideretur; deinde genus, aut quiddam commune loco generis, ſumatur, cum vera differentia, aut loco differentiæ proprium, vel loco proprij accidentia communia frequententur, quo ad proprium habeatur, vt ea conglobata ſoli & toti rei conueniant; vt ciuitas, eſt multitudo collecta, ad ſtatum rerum ſuarum tuendum per ſe ſufficiens, conſenſu legum vitæque coniuncta; huc enim reuocamus locum deſcriptionis, qui continet argumenta petita ex deſcriptione, quando, ſcilicet, ignoratur propria rei definitio. Eſt enim deſcriptio, oratio declarans rem per eius proprietates, & accidentia; vt ſi dicas, addiſcendam eſſe logicam, quia eſt ſcientia, quæ ad cæteras

omnes ſcientias viam ſternit; vel, quia illa eſt ſcientia inſtrumentaria veri & falſi indagatrix, quod homini rationis participi maximè conuenit. Deinde maximæ huius loci, ſunt eædem, cum maximis præcedentis, ſumendo deſcriptionem loco definitionis.

Definitio propriè non probatur ſyllogiſmo apodictico, ſed eſt principium ſyllogiſmi; concludi tamen poteſt ſyllogiſmo Topico, & primùm quidem per definitionem definitionis, hoc modo. Oratio declarans quid res ſit, eſt definitio: hæc eſt oratio declarans quid res ſit; igitur. Secundò per partes definitionis; ſic, vbi genus proximum eſt & differentia ſpecifica, ibi eſt definitio, &c. Tertiò ab oppoſitis, ſic, ſi oppoſita oratio, eſt oppoſiti definitio; etiam poſita oratio, erit definitio rei poſitæ. Quartò à coniugatis, ſi obliuio eſt abiectio ſcientiæ, etiam obliuiſci, erit abiicere ſcientiam.

Secundus locus eſt diſtributio, quæ definitur, generalis cuiuſdam in ſpecialia diductio; vt virtus diſtribuitur in ſuas ſpecies, prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, & temperantiam. Duplex eſt, eſſentialis, & accidentalis. Eſſentialis, eſt qua totum in partes, aut genus in ſpecies, aut vocabulum in ſuas ſignificationes, diuiditur. Accidentalis, eſt qua ſubiectum in ſua accidentia diſtribuitur, vel contrà accidentia in ſua ſubiecta, vel accidentia in ſua accidentia. Eſſentialis triplex eſt, diuiſio, partitio, & diſtinctio; diuiſio propriè, eſt qua genus diſtribuitur in ſuas ſpecies; partitio, qua totum aut integrum in ſuas partes; diſtinctio, eſt vocis in ſuas ſignificationes diſtributio.

Diuiſio omnis debet conſtare membris inter ſe

repugnantibus; ita vt alterum membrum, non poſſit verè dici de alio, tanquam de ſuo inferiori; nam abſurdum eſt, genus inter ſpecies numerari, & ſpeciem contineri ſub alia ſpecie poſita in diuiſione. Diuiſio, neque plura, nec pauciora debet habere membra, quàm diuiſum: diuiſio, ex repugnantibus medio carentibus, conſtat duobus tantùm membris, rarò pluribus: quando diuiſio conſtat duobus membris medio carentibus, vt ſunt contraria immediata, ſanus, & æger; priuantia, cæcus & videns; contradicentia, rationale & irrationale, ſemper vno affirmato, alterum negatiuè concluditur; vel vno negato, alterum affirmatur; vt Petrus aut ſanus eſt, aut æger; ſanus eſt; igitur non eſt æger. Axioma, vno membrorum diuidentium, ex repugnantibus medio carentibus, affirmato, alterum negatur; vel vno negato, alterum affirmatur. Quando verò aſſumemus alterum contradicentium, non aſſumemus nominatim ipſum, ſed talibus vtemur loquendi formulis: ſed primum verum eſt, igitur ſecundum eſt falſum; vel è contra, vt Cicero eſt eloquens, vel non eloquens: ſed primum verum eſt; igitur falſum ſecundum. Quãdo enumeratio habet plura membra quàm duo, quod ex affirmatione formarum omnium, genus vniuersè probamus; vt quoniam prudentia, iuſtitia, fortitudo, & temperantia eſt laudabilis; omnis virtus eſt laudabilis. Item ex negatione omnium formarum, negatè genus vniuersè inferimus; vt Nero non habet prudentiam, nec iuſtitiam, neque fortitudinem, neque temperantiam; igitur nulla virtute præditus eſt. Quòd ſi partes omnes præcipuæ non enumerentur, aut ſi pars vna falſa, aut

infirma addatur, argumentum à diuiſione, facilè refelletur. Item ex negatione multorum aliorum, rectè inferimus affirmationem vnius, aut plurium.

Tertius locus eſt notatio nominis, quæ dicitur, nominis obſcurioris quædam notior interpretatio; vt, homicida, qui hominem interfecit. Philoſophus, eſt ſapientiæ ſtudioſus. Argumenta ex hoc loco ducta ſunt firma, & valent ad probandam quæſtionem affirmantem, & negantem, ſi nomen, & eius notatio viciſſim commeant, id eſt, ſi de ſeipſis vniuersè dicantur; vt homicida eſt, qui hominem interfecit, & qui hominem interfecit homicida eſt.

A notatione quatuor modis argumentamur, duobus à notatione ſubiecti, & duobus à notatione attributi, affirmatè, ſcilicet, & negatè. Sit quæſtio, an Philoſophia ſit laudabilis, ſic probabis ex notatione ſubiecti affirmatè; ſtudium ſapientiæ eſt laudabile; ergo Philoſophia eſt laudabilis. Axioma, quidquid tribuitur notationi, tribuitur & nomini eius. Negatè, ſic; ſtudium ſapientiæ non eſt laudabile; igitur Philoſophia non eſt laudabilis. Axioma id quod non conuenit notationi, non conuenit etiam nomini eius. à notatione attributi, hanc quæſtionem, an Petrus ſit Philoſophus, affirmatè ſic oſtendes; Petrus eſt ſapientiæ ſtudioſus; igitur eſt Philoſophus. Axioma, cui conuenit notatio nominis, eidem conuenit & nomen eius. Negatè, Petrus non eſt ſapientiæ ſtudioſus; igitur non eſt Philoſophus. Axioma, cui non conuenit notatio nominis, eidem non conuenit nomen eius. Ad hunc locum, reuocamus locum à ſynonymis,

ſiue vtrumque nomen ſit proprium, ſiue vnum ſit proprium, & alterum tranſlatiuum.

Quartus, locus eſt à coniugatis; coniugata autem ſunt, quæ ab vno nomine varia prolatione flectuntur; vel, vt loquitur Cicero in Topicis, quæ orta ab vno variè commutantur, vel abſtractum, & vox alia eiuſdem ſignificationis, quæ ab eodem abſtracto, tanquam à ſua cauſa deriuatur; vt à ſapientia, ſapiens, ſapienter, ſapere.

Nomen abſtractum eſt duplex, ſicut & concretum, eſſentiale, & accidentale; eſſentiale, vt humanitas, homo, humanus; accidentale, vt albedo, album. Concreti duplex eſt ſignificatio; altera primaria, qua idem ſignificat quod ſuum abſtractum; vt album, idem eſt quod albedo; probus idem quod probitas; altera ſecundaria, qua concretum ſignificat ſubiectum cui ineſt abſtractum; vt album, id eſt, res habens albedinem: igitur concretum, ratione ſuæ ſignificationis primariæ, idem eſt quod abſtractum; diſcrepant autem ratione ſuæ ſignificationis ſecundariæ.

Triplicia ſunt coniugata, nam quædam ſunt coniugata ſignificatione, & voce; quædam ſignificatione, & non voce; quædam voce, & non ſignificatione. Coniugata voce, & ſignificatione, ſunt quæ ſignificatione, & initiali ſyllaba conueniunt, finali autem terminatione diſcrepant. vt probitas, & probus; Rhetorica, & Rhetor. Coniugata ſignificatione, & non voce, ſunt illa, quæ tantùm ſignificatione conueniunt, diſcrepant autem principio, & fine dictionis. vt virtus, & probus, Rhetorica, & orator. Coniugata voce, & non ſignificatione, ſunt illa, quæ in prima quidem ſyllaba conueniunt,

ueniunt, ſed diſcrepant finali terminatione, & ſignificatione. vt ſomnus, & ſomniculoſus; nam ſomniculoſus eſt in vitio, ſomnus non item; virtus, & virtuoſus; quia virtuoſus non eſt vocabulum receptum à lingua Latina.

A coniugatis voce; & ſignificatione ſimul, & à coniugatis ſignificatione tantùm, argumenta ducuntur 4. modis, duobus quidem, hoc eſt, affirmatè, & negatè ex coniugato ſubiecti, & totidem ex coniugato attributi quæſtionis. Sit problema, an iuſtitia ſit laudabilis; ex coniugato ſubiecti, ſic affirmatè ſumitur argumentum. Iuſtus eſt laudabilis; ergo iuſtitia eſt laudabilis. Axioma, nam quidquid conuenit vni coniugatorum, conuenit & alteri. Negatè, iuſtus non eſt vituperandus; igitur iuſtitia non eſt vituperanda. Axioma, nam quidquid non conuenit vni coniugatorum, non conuenit alteri. Ex coniugato attributi affirmatè; vt Petrus eſt iuſtus; igitur eſt iuſtitia præditus. Axioma, cui conuenit vnum coniugatorum, eidem conuenit & alterum. Negatè, Petrus non eſt iuſtus; ergo non eſt iuſtitia præditus. Axioma, cui non conuenit vnum coniugatorum, eidem non conuenit alterum.

Quintus locus eſt à toto & partibus. Totum autem, eſt quod componitur ex partibus: partes verò, ſunt ex quibus totum componitur. Totum triplex eſt, eſſentiale, vniuerſale, & integrum; totum eſſentiale, eſt quod conſtat partibus eſſentialibus; éſtque duplex, phyſicum, cuius partes dicuntur componentes, ab aliis partes conſtituendæ rei, quibus, totum eſſentiale, in aliqua certa rerum ſpecie, conſtituitur, vt materia & forma cuiuſlibet

rei, putà, corpus & anima in homine: & Metaphyſicum; vt ſpecies cuius partes eſſentiales metaphyſicæ ſunt genus & differentia, putà, animal & rationale reſpectu hominis; totum vniuerſale, eſt cuius partes vocantur ſubiectiuæ, cuiuſmodi eſt genus reſpectu ſuarum ſpecierum. Totum integrum, eſt quod componitur ex partibus integrantibus, de quibus, non dicitur in recto, ſed in obliquo; vt domus ex tecto, parietibus, & fundamento. Duplex eſt, totum integrum quantitatis, & totum integrum qualitatis. Totum integrum quantitatis, eſt quod conſtat partibus quantitatiuis, ex quibus, totum quod ex his componitur, dicitur quantum vel quotum. Partes quantitatis ſunt duplices, magnitudinis, & multitudinis; partes magnitudinis, ſunt quibus, totum ex his compoſitum, dicitur magnum, vel paruum; partes multitudinis ſunt quæ numerum conficiunt; vt duodecim vnciæ, ſunt partes aſſis. Totum integrum qualitatis, eſt quod conſtat partibus qualitatiuis; partes autem qualitatis, ſeu virtutis, ſunt facultates alicuius rei, quas potentias vocant; ſic anima tres habet partes, vegetantem, ſentientem, ratiocinantem; ſic dicimus, plus ineſſe Soli luminis, quàm Lunæ; plus perſpicuitatis in oculo benè ſano, quàm in luſcò. Partes totius integri vocantur aliquando partes conſtitutæ rei; quia ſunt partes integrantes rei conſtitutæ in aliqua ſpecie, & ſolùm materiam reſpiciunt; vt caput, & manus in corpore humano. Partes integrantes ſunt duplices, præcipuæ, & minùs præcipuæ; præcipuæ, ſunt partes ſine quibus totum nullo modo eſſe poteſt; vt in homine caput, pectus, venter; partes minùs præ-

cipuæ, ſunt ſine quibus totum integrum eſſe poteſt, ſed non perfectum; vt in humano corpore pedes, & manus; in domo feneſtræ, & cubicula. Diuiduntur etiam partes integrantes in homogeneas, & heterogeneas; partes homogeneæ, sũt partes inter ſe eiuſdem generis, materiæ, & appellationis; vt in corpore humano partes carnis, ſanguinis; partes heterogeneæ, sũt partes diuerſi generis, materiæ, & appellationis; vt in eodem corpore humano caro, ſanguis, oſſa, nerui, quatenus ad totum integrum, hoc eſt, corpus humanum, referuntur.

Argumenta ducuntur ex hoc loco, quibus ex toto partes primarias concludimus eſſe; vt domus eſt; igitur pauimentum, tectum, & parietes. Axioma, poſito toto integrante, partes eius ſingulę præcipuæ ponuntur. Domus eſt perfecta; igitur eſt tectum, parietes, pauimentum, fundamentum, feneſtræ, cubicula, & cæteræ partes, tam præcipuæ, quàm minùs præcipuæ. Axioma, poſito toto perfecto, ponuntur omnes eius partes, tam præcipuæ, quàm minùs præcipuæ. Dixi, perfecto, alioqui non ſequitur, ſi domus ſit, eſſe cubicula, & feneſtras. Axioma, nam poſito toto ſimpliciter, non ponuntur eius ſingulæ partes minùs præcipuæ. Eſt corpus humanum; igitur ſunt pedes, & manus, non ſequitur, ſunt enim aliqui homines manci, & claudi. Negatè, ſic ratiocinamur ex toto ad partes, per diſiunctionem; domus non eſt; igitur non eſt pauimentum, vel paries, vel tectum. Axioma, quia negato toto, negantur eius ſingulæ partes, per diſiunctionem.

Ex partibus ſimul ſumptis concludimus affirma-

tè totum; hoc modo, eſt tectum, ſunt parietes, & pauimentum; igitur eſt domus. Axioma, poſitis omnibus partibus præcipuis ponitur totum. Idem dicendum de toto perfecto, ſi ponantur omnes eius partes, tam præcipuæ, quàm minùs præcipuæ: negatè, ſic à parte ad totum argumentamur; tectum non eſt; igitur nec domus. Axioma, quia ſublata vna parte primaria tollitur totum. Non ſequitur autem, non ſunt cubicula; igitur non eſt domus. Axioma, ſublata enim vna parte minùs præcipua non tollitur totum: ſed benè ſequitur, non ſunt cubicula; igitur domus non eſt perfecta. Axioma, nam ſublata vna parte minùs præcipua, tollitur perfectio totius.

Sequitur locus à genere, eſt autem genus hoc loco quid ſimplex & commune, complectens multas ſpecies de quibus dicitur in recto; vt omne magis commune comparatione minùs communis, dicitur genus. Argumenta ducuntur affirmantia, & negantia ex genere ſubiecti, & attributi quæſtionis affirmantis & negantis; vt omnis virtus eſt expetenda; igitur, iuſtitia eſt expetenda. Axioma, quidquid affirmatur de genere vniuersè ſumpto, affirmatur de qualibet eius ſpecie. Negatiuè, nulla virtus eſt fugienda; ergo iuſtitia non eſt fugienda. Axioma, quidquid vniuersè negatur de genere, negatur & de qualibet ſpecie illius generis. Ex genere attributi affirmatè, hoc animal eſt præditum omni ſenſu; igitur & viſu. Axioma, de quocumque affirmatur genus vniuersè ſumptum, de eodem affirmatur quælibet ſpecies eius; quando autem genus non ſumitur vniuersè, non rectè ſequitur argumentum; vt voluptas eſt expetenda; igitur &

ebrietas; non ſequitur. Axioma, quidquid generi indefinitè ſumpto conuenit, non ſtatim conuenit cuilibet ſpeciei, ſed tantùm conuenit alicui, per coniunctionem diſiunctiuæ poteſtatis; vt voluptas turpis aut honeſta eſt expetenda; non autem turpis; igitur honeſta.

Locus à ſpecie continet omne minùs commune, de quo communius tanquam genus dicitur in recto caſu: argumenta affirmantia & negantia ex ſpecie ipſius ſubiecti, vel attributi quæſtionis, ad concludendum genus ſpeciatim ſumptum. Ex ſpecie ſubiecti affirmatiuè, iuſtitia eſt expetenda; igitur aliqua virtus eſt expetenda. Axioma, quidquid ſpeciei conuenit, hoc etiam generi ſpeciatim ſumpto conueniet. Negatiuè, iuſtitia non eſt fugienda; igitur aliqua virtus non eſt fugienda. Axioma, quod non conuenit ſpeciei, non conuenit generi ſpeciatim ſumpto. Ex ſpecie attributi affirmatiuè, Pompeius eſt prædıtus ſcientia militari; ergo aliqua virtute eſt præditus. Axioma, cuicumque conuenit aliqua ſpecies generis, & genus ſpeciatim ſumptum tribuitur. Negatiuè, Pompeius non eſt charitate præditus; igitur aliqua virtute non eſt præditus. Axioma, de quocumque negatur ſpecies, de eodem etiam genus ſpeciatim ſumptum negatur. Ex omnibus autem formis ſiue ſpeciebus ſimul ſumptis, affirmatiuè ducuntur argumenta, ad concludendum genus vniuersè ſumptum; ſed talis argumentatio pertinet, ad locum diuiſionis perfectæ.

Locus à proprio continet aliquid ſimplex, quod ſpeciei ſoli, & omni, & ſemper, conuenit; vt hominis proprium eſt admirari, loqui, ratiocinari

poſſe; equi hinnire; virtutis reddere hominem bonum in quo eſt: denique omnes propriæ affectiones rerum animatarum, & animæ expertium, virtutum, & ſcientiarum ſunt huius loci. Proprium ſic ſumptum eſt duplex, vnum eſſentiale, alterum accidentarium; eſſentiale, eſt differentia maximè propria; accidentarium eſt accidens proprium. Maximè propria differentia, eſt pars eſſentialis ſuæ ſpeciei, vel, eſt vniuerſale quod dicitur de ſua ſpecie, & indiuiduis ea ſpecie comprehenſis, in quæſtione facta per quale eſſentiale, ſiue quale quid; vt rationale; nam ſi quæratur, qualis ſit homo eſſentialiter, aptè reſpondebitur, homo eſt rationalis. Accidens proprium non eſt pars eſſentialis ſuæ ſpeciei, ſed quoddam accidens, & naturalis propenſio ad aliquid agendum, aut patiendum, aut recipiendum. Itaque hôc vno loco & nomine proprij deſigno differentiam, quæ vni ſoli ſpeciei conuenit, & propriam cuiuſque rei affectionem, quoniam vtrumque eſt ſimplex, & reciprocatur cum ſpecie ſua, & differentia maximè propria, quæ eſt altera pars rei, perrara eſt, vixque nobis cognita; quare proprium, loco ipſius, vno vel pluribus verbis expreſſum, perfrequenter vſurpamus.

Ex proprio tam ſubiecti quàm attributi quæſtionis, ducuntur argumenta affirmantia & negantia ad concludendam ſpeciem & ſpeciei indiuidua; vt ſit quæſtio, an iuſtitia ſit laudabilis ex proprio ſubiecti affirmatè ſic probatur tribuere vnicuique quod ſuum eſt, eſt laudabile; igitur iuſtitia eſt laudabilis. Axioma, nam quidquid conuenit proprio, hoc conuenit ſpeciei. Negatiuè, tribuere vnicuique quod ſuum eſt, non eſt vituperabile; igitur iuſtitia

non eſt vituperabilis. Nam quidquid non conuenit proprio, non conuenit ſpeciei eius. Ex proprio attributi affirmatè, quæſtio ſit, an Petrus ſit iuſtus, probatur. Petrus tribuit vnicuique quod ſuum eſt; igitur eſt iuſtus. Axioma, cui conuenit proprium, eidem & ſpecies conuenit. Negatè, Petrus non tribuit vnicuique quod ſuum eſt; igitur non eſt iuſtitia prædìtus. Cui non conuenit proprium, eidem nec ſpecies conueniet.

Locus à cauſis eſt valde neceſſarius, ſicut cognitio cáuſarum perutilis eſt & neceſſaria, nam ſcientia eſt cognitio per cauſam vel effectum; hinc exclamat Poëta;

Fœlix qui potuit rerum cognoſcere cauſas.

Itaq; cauſa eſt id vnde effectus aliquis exiſtit; vel eſt id ad cuius eſſe ſequitur aliud; vt ignis eſt cauſa caloris. Sunt autem quatuor cauſarũ genera, materia, forma, efficiẽs, & finis, de quibus ſigillatim dicẽdũ.

Quod attinet ad materiam, illa eſt triplex, ex qua, in qua, & circa quam: materia ex qua, eſt ex qua res fit; eáque eſt duplex, vna permanens, cuius ſubſtantia in re effecta manet; vt lignum reſpectu cathedræ, vel domus, quibus factis manet; altera tranſiens, cuius ſubſtantia non manet in re effecta; vt vinum eſt materia aceti, farina & aqua ſunt materia ex quà tranſiens panis, quia illa in effectis non manent. Ex hac materia duplici petuntur argumenta affirmantia & negantia; vt in Gallia ſunt ſyluæ & ligna; igitur poſſunt fieri ædes, cathedræ, naues: in Æthiopia non eſt vſus vini, quod ex vuis exprimitur; ergo in illis regionibus, non poſſunt fieri ſacra, niſi aliunde huiuſmodi vinum deportetur; hic homo habet ex ipſa humorum

proportione molitudinem carnis; igitur eſt ingenioſus. Materia in qua, eſt ſubiectum reſpectu cuiúſque formæ; vt cera eſt materia in qua figuræ, & corpus coloris, & animus ſcientiæ: ex hac materia in qua petuntur hæc & ſimilia argumenta; Petrus parum tenacem memoriam habet; ergo niſi perſæpe repetierit quæ proponuntur, breui omnia excident: hic homo eſt valetudinarius; ergo nihil mirum quod ſit pallidus: anima rationalis quo ad ſuum eſſe non ſuſtentatur à corpore in quo eſt, quoniam habet aliquam operationem quæ à corpore non pendet; igitur illa poteſt in rerum natura ſine corpore cohærere. Materia circa quam, eſt id circa quod alicuius actio & operatio verſatur. Sic dicimus virtutes eſſe materiam laudis, & vitia reprehenſionis, & ligna fabri lignarij: ſic probat Ariſtoteles *6.* Metaphyſic. cap. 1. & lib. 11. cap. *6.* dari Metaphyſicam, quia vltra corporeas ſubſtantias dantur aliæ quædam corporis expertes; ergo præter & vltra Philoſophiam naturalem quædam alia ſupernaturalis ſcientia admittenda eſt. Huius loci cauſæ materialis tres ſunt maximæ, prima poſita cauſa materiali, poſſibilis eſt effectus. Secunda ſublata materia permanente tollitur effectus. Tertia nulla præcedente materia tranſeunti, nullus ſequitur effectus.

De cauſa formali docetur primò eam eſſe cauſam, quâ res habet aliquod eſſe; vel, per quam res eſt, & habet appellationem, & à cæteris rebus diſtinguitur; vt anima rationalis eſt forma hominis; eſt enim cauſa cur homo ſit, & nominetur homo, & ab aliis rebus diſtinguatur. Forma eſt duplex, vna eſſentialis, ſiue ſubſtantialis; alia accidentaria

eſſentialis, eſt quæ pertinet ad naturam rei; vt anima rationalis in homine, anima vegetans in ſtirpibus & arboribus, ſentiens in animantibus: forma eſſentialis animalium eſt duplex, alia mortalis; vt anima brutorum: alia immortalis; vt anima hominis. Poſitâ formâ immortali non ſtatim ponitur effectus eius, nempe, homo; nam anima exiſtit homine mortuo: ſed benè ſequitur, formâ ratiocinante inhærente corpori, effectum eius eſſe; formâ ratiocinante ſublatâ, non eſſe effectum eius; effectu autem formæ ratiocinantis poſito, ponitur ipſa forma ratiocinans; vt homo eſt; igitur eſt anima ratiocinans. Negato effectu formæ ratiocinantis, non negatur forma ratiocinans; vt non ſequitur, non eſt homo; igitur non eſt anima rationalis; quia anima eſt immortalis. Formâ mortali poſitâ, ponitur effectus eius; vt eſt anima equi; igitur eſt equus: item formâ mortali negatâ, negatur effectus eius; vt non eſt anima equi; igitur non eſt equus. Item effectu formæ mortalis poſito, ponitur forma mortalis; vt equus eſt; igitur eſt anima eius: & effectu formæ mortalis negato, negatur forma mortalis; vt non eſt equus; igitur non eſt anima equi. Forma accidentaria eſt duplex; alia naturalis, alia artificioſa: naturalis, eſt quæ non introducitur ab arte, ſed à natura; vt quantitas, qualitas, albedo, nigredo; artificioſa eſt, quæ propriè figura dicitur, quæque ab artifice introducitur in aliquam rem; vt eſt figura menſæ, gladij, domus. Formâ accidentariâ poſitâ, ſubiectum eius ponitur; vt albedo eſt; igitur eſt album. Iuxta illud axioma, ab ineſſe, ad denominari; quod ſic effertur, cuicumque ſubiecto ineſt forma, illud ab ea denomi-

natur; vt quia ineſt albedo niui, nix alba denominatur.

Quòd ſpectat ad cauſam efficientem, definitur id à quo incipit. Primò, motus & operatio, vt cùm ignis calefacit aquam, motus illius, ſiue actionis initium fuit ignis; vnde ignis eſt cauſa efficiens illius caloris. Diuiditur vulgò cauſa efficiens in neceſſariam, & ſufficientem; illa vocatur à qua ita procedit effectus, vt non poſſit, poſitâ cauſâ, non procedere, nec ab alia cauſa poſſit effectus ille naturaliter produci; vt Solis præſentia eſt cauſa diei: cauſa ſufficiens appellatur, quæ ſuum effectum ſemper producit, quamuis effectus poſſit ex aliis cauſis prouenire; ſic ignis eſt cauſa caloris, quoniam ille ſemper hunc producit; non tamen à ſolo igne produci poteſt, ſed etiam ab aliis. Rurſus cauſa efficiens duplex eſt; alia actu, alia potentiâ: cauſa actu, eſt quæ ſignificat operationem ipſius effectus; vt calefaciens, ædificans: cauſa potentiâ, eſt quæ talem potentiam innuit; vt calefactiuum. Cauſa actu poteſt diuidi in cauſam procreantem, conſeruantem, interimentem: tandem illæ ſingulæ diuiduntur in principales, & famulantes: principales ſeu primariæ; vel ſunt principales ſimpliciter; vt ſolus Deus: vel in aliquo ſolo genere; vt architectus: famulantes, ſunt quæ principalibus ſeruiunt; vt Angeli Deo; & qui ligna ſuccidunt, vel præparant architecto: reuocantur etiam ad cauſas efficientes ſecuris, terebra, & ij quorum conſilio res geritur; vt regum conſiliarij. quibus ita poſitis, eruuntur argumenta ex hoc loco, tùm affirmantia, tùm negantia; tùm à cauſa, tùm ab effectu: à cauſis quidem neceſſariis; vt Sol lucet;

ergo dies eſt: dies eſt; ergo Sol lucet: quia poſitâ neceſſariâ causâ, ponitur effectus, & poſito effectu, ponitur talis cauſa. Negatiuè, Sol non lucet in noſtro hemiſpherio; ergo hîc non eſt dies; & contrà, non eſt dies in noſtro hemiſpherio; ergo Sol in eo non lucet: quia ſublatâ causâ neceſſariâ tollitur effectus, & ſublato effectu neceſſario, tollitur cauſa neceſſaria. A cauſis efficientibus ſufficientibus; vt eſt iugulatus; ergo interiit: eſt ignis; ergo calor: non interiit; ergo non eſt iugulatus: non eſt calor; ergo non eſt ignis: quia poſitâ causâ ſufficiente, ponitur effectus; & ablato effectu, tollitur cauſa ſufficiens. A cauſa potentiali ad poſſibilitatem effectus valet argumentum affirmando; & ab effectus exiſtentia, ad præexiſtentiam cauſæ; vt eſt ædificator; ergo poſſunt eſſe ædes, modò cætera adſint: eſt domus; ergo fuit qui domum ædificauerit: quia poſitâ causâ potentiali cum aliis requiſitis, poſſibilis eſt effectus, & poſito effectu, ponitur neceſſariò cauſa potentialis. Cauſa potens, & effectus in potentia, ſimul ſunt, aut non ſunt. A cauſa actuali, eruuntur argumenta affirmando, & negando, tùm à cauſa, tùm ab effectu; quæ pendent ab his maximis. operante causâ, fit effectus; ceſſante causâ, ceſſat, ſeu non fit effectus. cauſa in actu & effectus in actu, ſimul ſunt, aut non ſunt.

A cauſis generante, conſeruante, & interimente, petuntur ſequentia poſtulata, in quibus bonum & malum generaliter ſumuntur, quatenus comprehendunt bona & mala, bonum naturæ & artis; loquendo etiam de bonitate & malitia quæ prouenit ex huiuſmodi cauſis. Primum, quorum efficientia ſunt bona, ipſa quoque ſunt bona; vt milites ſunt

aliquando vtiles Reipub. ergo & bellum: hic paries eſt conſtructus ex calce & lapidibus; ergo bonus. Secundum, quorum efficientia ſunt mala, ipſa quoque ſunt mala; vt venefici ſunt pernicioſi, ergo & veneficia: hic paries eſt conſtructus ex luto; ergo nihil valet. Tertium, quorum interimentia ſunt bona, ipſa ſunt mala; vt Reges qui non patiuntur viuere hæreticos ſunt boni; ergo hæretici mali. Quartum, quorum interimentia ſunt mala, ipſa quoque ſunt bona; vt Tyranni qui Chriſtianos trucidant ſunt Deo odibiles; igitur Chriſtiani ſunt Deo amabiles: impium fuit Chriſtum occidiſſe; ergo Chriſtus innocens fuit. Vbi notabis, bonum & malum debere ſumi per ſe, alioqui non valet; vt bonum ſeu vtile nobis fuit Chriſtum mori; ergo Chriſtus inutilis fuit; non ſequitur, quia non ſumitur id quod eſt bonum ſeu vtile per ſe; mors enim, vt mors, non eſt vtilis, nec qua parte homines Chriſtum occiderunt, bonum fuit, vnde grauiſſimè peccarunt, ſed ex ipſius beneplacito, qui nos morte ſuâ redemit. Similes ſunt ſequentes maximæ, quorum cauſæ ſunt honeſtæ, ipſa quoque ſunt honeſta; quorum vtiles, & ipſa ſunt vtilia; quorum iucundæ, & ipſa iucunda; quorum in pretio habitæ, & ipſa in pretio habentur; quorum magni conſtant cauſæ, & ipſa magni conſtant: cuius conditionis eſt cauſa, eiuſdem ſuo modo eſt effectus: ex quibus infinita propemodùm argumenta erui poſſunt.

Quod attinet ad cauſam finalem, definitur cauſa, cuius gratiâ fit aliquid; vt ſanitas eſt finis medici ſecundùm artem ſuam. Huius loci maximæ ſunt hæ præcipuæ. Prima, cuius finis bonus eſt, & id

bonum eſt; vt bonum eſt frui Deo; ergo mandata eius obſeruare: intellige autem, modò ſit finis per ſe, id eſt, ad quem res ex ſe ordinetur, alioqui non valet: nam ſi quis furetur vt faciat eleemoſynam, furari malum eſt, & tamen finis bonus. Secunda, cuius finis eſt malus, id etiam malum eſt; vt occidere malum eſt; ergo parare inſidias, vt occidas, malum eſt. Tertia, cuius finis melior eſt, id melius; & cuius finis optimus, id etiam optimum; vt melius eſt rectè viuere, quàm multa cognoſcere; ergo virtus eſt melior ſcientiâ. Sic optima rerum naturalium cognitio, eſt cognitio primæ ſubſtantiæ; ergo Metaphyſica eſt prima & optima ſcientiarum naturalium. Sic contrà, id peius eſt, cuius finis peior eſt; & id peſſimum, cuius finis peſſimus. Quarta, qualis eſt finis rei, tales debent eſſe aliæ cauſæ eiuſdem rei; vt finis domus eſt, vt habitari poſſit, conſeruando nos à ventis, & aliis tempeſtatibus; ergo debet conſtare ex parietibus, tecto, & cæteris. finis gladij eſt ſecare; ergo debet eſſe acuta acie. Quinta, qualis eſt finis, talia eſſe debent media ad finem; vt vis fieri doctus, ſtudiis gnauiter incumbe; & ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata Dei. Sexta, à fine remouenda ſunt media extranea; vt aſpiras ad fœlicitatem; ergo non debes voluptatibus carnis teipſum mancipare.

De effectis nihil reſtat dicendum, eorum enim tot ſunt genera, quot cauſarum; hinc huius loci vſus idem eſt ac ſuperioris, ordine ſolùm maximarum inuerſo, vt patet ex loci præcedentis explicatione, vbi etiam traditæ ſunt.

Sequuntur antecedentia & conſequentia; antecedens enim, hoc loco, ſignificat id quod

aliud neceſſariò antecedit, ſicut conſequens, id quod neceſſariò ſequitur: hoc autem bifariam fieri poteſt. Primò, res illa dicitur antecedens, ex qua neceſſariò aliud ſequitur, ſiue ordine attributionis, quomodo omnia inferiora dicuntur antecedentia, & ſuperiora vocantur conſequentia; vt homo eſt antecedens, & animal conſequens: quia poſito homine in antecedente, conſequitur animal; vt hoc eſt homo; ergo animal: ſiue ordine temporis, quomodo vulnus in corde, eſt antecedens mortis; quia mors breui neceſſariò conſequitur: altero modo antecedens dicitur res quæ neceſſariò concedenda eſt, ſi aliud concedendum eſt quomodo adoleſcentia eſt antecedens iuuentutis, & fundamenta ædificij; prius enim eſt eſſe adoleſcentem, quàm iuuenem; & fundamenta, quàm domum; eodémque modo conſequens. Huius loci quatuor ſunt maximæ, quarum duæ pertinent ad antecedentia, & conſequentia prioris generis, aliæ duæ poſterioris. Prima, poſito antecedente, neceſſe eſt poni conſequens. Secunda, ſublato conſequente, neceſſe eſt vt tollatur antecedens. Tertia, ſublato antecedente, neceſſe eſt tolli conſequens. Quarta, poſito conſequente, neceſſe eſt poni antecedens.

Addamus his præcurrentia, comitantia, & ſequentia. Præcurrentia dicuntur, quæ rem antecedunt; vt portenta, nobilitas maiorum, dies natalis, educatio, conſuetudo, prouocatio. Comitantia verò, quæ rem comitantur; vt locus, tempus, occaſio, ſocij, dignitas, officium. Subſequentia, quæ rem ſubſequuntur; vt laus, diuitiæ partæ, infamia, reprehenſio, & cætera, quæ ad oratorem magis, quàm ad Dialecticum pertinent. Maximæ verò

horum locorum nullo certo numero comprehenduntur, ſed huc ſpectant multa prouerbia, quale eſt illud Dauidicum, *Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente, innocens eris*, &c. omnia tamen in hac genetali maxima comprehendi poſſunt; qualia ſunt circumſtantia, talem veriſimile eſt eſſe rem quam circumſtant. Appellantur alio nomine adiuncta, & complectuntur non ſolùm communiter accidentia, de quibus iam diximus, verumetiam accidentia, tàm ſeparabilia, quàm inſeparabilia, quæ continentur in nouem categoriis accidentium.

Locus ſimilium complectitur ea, quæ vel habent eandem qualitatem; vt duo candida: vel eandem quantitatem; vt duo corpora æqualia: vel communem eſſentiam; vt duo animalia eiuſdem ſpeciei: vel quæ habent aliquam proportionem inter ſe; vt mens in anima, & oculi in corpore, celeritas in aëre, & tranquillitas in mari. Huius loci duæ ſunt maximæ; quod in vno ſimilium valet, valet in cæteris: quod non valet in vno, nec in cæteris; vt corpus regitur oculis; ergo animus mente gubernandus eſt. Tantùm notabis, valere hunc locum, ſi conferantur qua parte ſimilia ſunt, non aliter.

Locus maiorum valet ſolùm negando, éſtque illius loci vna maxima: ſi quod veriſimilius videtur non eſt verum, nec id quod minùs videtur, veriſimile erit.

Locus minorum valet affirmando, cuius hæc eſt maxima: ſi id quod minùs veriſimile eſt verum eſt, & id etiam erit, quod magis veriſimile videtur.

Locus parium continet has maximas. ſi data propoſitio vera eſt, ea etiam quæ videtur æquè probabilis, vera erit: & ſi incrementum prædicati ſequitur incrementum ſubiecti, prædicatum ſequitur ſubiectum: quòd ſi incrementum non ſequitur incrementum, nec prædicatum ſequetur ſubiectum; vt ſi maior virtus eſt melior, aut maxima eſt optima, virtus vtique eſt bona: ſic illa, ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter; ita magis ad magis, & maximum ad maximum; vt ſi facere iniuriam eſt malum, maiorem facere peius erit, & maximam peſſimum. hoc tamen pronunciatum valet ſolùm in iis quæ prædicantur per ſe, alioqui non ſequitur, maior vini vſus eſt peior, & maximus peſſimus; ergo vſus vini eſt malus: ſic nec valet, exercitatio corporis eſt bona; igitur maior eſt melior, & maxima optima.

Locus diſſimilium continet ea, quibus quatenus talia ſunt, nec vnum aliquid commune eſt, nec plura quæ inter ſe proportionem habeant; vt iuſtus & iniuſtus, homo & brutum. qui locus valet ad reſiſtendum alteri, & duas habet maximas: prima, diſſimilibus diſſimilia conueniunt: ſecunda, quod vni diſſimilium qua parte diſſimile eſt, conuenit, non conuenit alteri.

Locus repugnantium ſeu oppoſitorum continet ea, quæ ita diſſident, vt probabiliter, aut neceſſariò ſeſe mutuò nec antecedant, nec conſequantur, nec ipſa ſibi, nec alteri rei eidémque ſimul inſint, nec attribuantur eadem ratione, eodem modo, eodem tempore. Repugnantia ſunt duplicia, probabilia, vt heri veſperi cœlum rubuit, & hodie nubilum eſt: matrem eſſe, & occidere filium: filium

lium eſſe, & occidere patrem: & neceſſaria, vt Petrum eſſe, & non eſſe hominem: Solem eſſe, & non eſſe diem: repugnantia, quæ nec ſibi, nec alteri inſunt, aut attribuuntur eadem ratione dicuntur inhæſionis, & attributionis: ſuntque duplicia; nam quædam ſunt differentia, quæ à Boëtio diſparata, à Rodolpho agricola diuerſa vocantur: quædam verò ſunt oppoſita. Differentia ſunt repugnantia plura, quorum vnum repugnat pluribus eadem ratione; vt homo repugnat equo, plantæ, lapidi, &c. propterea quod ſit rationis particeps. Oppoſita ſunt duo repugnantia, quorum vnum ita repugnat alteri, vt neque alterum de altero, neque ambo de vna eadémque re verè dici, aut affirmari poſſint. Quatuor ſunt oppoſitorum genera, relata, priuantia, contraria, & contradicentia. relata ſunt oppoſita, quæ inter ſe mutuò conferuntur, & de ſe ipſis dicuntur mediante altero in genitiuo, vel in alio quopiam caſu; vt pater eſt filij pater; ſimile eſt ſimili ſimile. Priuantia ſunt oppoſita, quorum alterum ineſt ſubiecto capaci vtriuſque, tempore à natura determinato; ſic à priuatione non fit regreſſus ad habitum; vt viſus & cæcitas: catulo autem inſunt in tempore à natura determinato, non enim dicitur cæcus ante nonum diem, quia non eſt ei viſus ante nouendium. Contraria, quæ Ciceroni aduerſa dicuntur, ſunt oppoſita, quæ ſub eodem genere poſita plurimùm naturis diſtant, & eidem ſubiecto capaci vtriuſque viciſſim inſunt, à quo ſe mutuò expellunt, niſi alterum inſit à natura; vt nigredo & albedo, ſub colore ponuntur, & diſtant plurimùm natura ſua; vel quia comparantur ad medios colores, pallorem & ruborem, qui

aliquid de nigrore & albore participant; vel quia eidem ſubiecto ineſſe minimè poſſunt, vel attribui, quando videlicet alterum ineſt à natura; vt albedo, in cygno, nigredo in coruo: tunc enim in locum eius cui à natura determinatum eſt, & quaſi præſcriptum vt inſit, non poteſt alterum ſuccedere. Contraria autem ſunt duplicia, immediata, quorum alterum neceſſariò ſemper ineſt ſubiecto capaci vtriuſque; vt ſanus & æger; par & impar; mediata, quorum alterum non ſemper ineſt ſubiecto capaci vtriuſque; vt album & nigrum, inter quæ poteſt eſſe pallor & rubor. Contradicētia ſunt ea, quorum alterum affirmat, alterum negat eandem rem omnino, ſic vt nulla res ſit media, nec fingi poſſit, cui alterum contradicentium non conueniat; vt doctus, non doctus; ſedet, non ſedet. Axioma generale omnium repugnantium, tàm oppoſitorum quàm differentium hoc eſt. De quocumque affirmatur vnum repugnantium, de eodem negatur alterum. Exemplum de differentibus; hic homo eſt animal; ergo non eſt arbor. De relatis, ſanctus Ioannes Baptiſta fuit filius Zachariæ; ergo non fuit pater Zachariæ. De quocumque verò ſubiecto capaci vtriuſque negatur vnum contrariorum immediatorum, vel priuantium, vel contradicentium, de eodem affirmatur alterum; vt non eſt ſanus; igitur eſt æger: non eſt doctus; igitur indoctus. De quocumque autem negatur vnum differentium, aut relatorum, aut contrariorum mediatorum, non ſequitur de eodem affirmari alterum; vt non ſequitur ſi lignum non eſt homo, eſt brutum; ſi non eſt albus eſt niger, poteſt enim eſſe pallidus aut rufus.

Authoritas duplex eſt humana, & diuina; & hæc quidem ſumma eſt, quia Deus Opt. Max. eſt ſumma ſapientia, aut ſumma veritas, cui falli, aut fallere repugnat. Tribuitur autem diuina authoritas in primis ſacris litteris, deinde traditionibus Apoſtolicis, poſt inſtitutis vniuerſalis Eccleſiæ, cui aſſiſtit Spiritus ſanctus, ac denique decretis Conciliorum vniuerſalium, quæ totam Eccleſiam repræſentant. Authoritas humana eo maiorem vim habet, quo perfectior in ea reperitur cognitio rei propoſitæ, & virtus ſeu probitas in dicente. Cuius loci duæ ſunt maximæ. Prima in vſu verborum ſequenda eſt vulgi conſuetudo. Secunda in ſententia de rebus ferenda, ſequendum eſt iudicium ſapientum. Quæ aliis verbis vulgò ſic exprimuntur; loquendum vt multi, ſapiendum vt pauci. Sic quæ valent ad efficiendam ſanitatem vocanda ſunt ſalubria, vt vulgò appellantur. An verò propoſita res, apta ſit ad efficiendam ſanitatem, non ex vulgi ſententia, ſed ex Medicorum iudicio æſtimandum eſt; ſic cognitio rerum naturalium à phyſico petenda eſt, & animæ ſeu conſcientiæ cura, piorum & doctorum conſiliis regenda; tandem cuilibet in ſua arte perito credendum eſt. Atque hi omnes loci præſertim valent ad confirmandam, & euertendam probabiliter quamlibet quæſtionem ſimplicem & abſolutam, ſin autem quæſtio propoſita ſit per comparationem vnius cum altera; vt ſitne hoc magis tale quàm iſtud, vel illud, aliæ maximæ tradi ſolent in locis ſingulis explicatis, qualis eſt illa à definitione; quod magis ſuſcipit rei propoſitæ definitionem, id eſt magis tale; vt ſi candor definitur, color qui aſpectum diſgregat, is color qui aſpe-

ctum magis diſgregabit erit albior; quæ ab Ariſtotele fusè explicantur lib. 2. & 3. Topicorum.

INTERVALLVM VIII.

De metis ſeu finibus Sophiſtarum.

QVONIAM Sophiſtæ reſpondentem fallere contendunt ſuis argutiis, operæ pretium erit, notare id ex duplici capite poſſe contingere, nimirum, ex parte formæ, & ex parte materiæ, fallaciæ tamen quæ ex parte formæ contingunt, facilè vitari poſſunt per regulas allatas de vnaquaque figura; quæ autem ex parte materiæ, eruuntur ex locis ſophiſticis, de quibus agemus in areola ſequenti. Sed obſeruandum eſt imprimis, quæ ſint metæ ſeu fines Sophiſtarum, in quibus deſinunt & quieſcunt, quaſi iam parta victoria, ſi in aliquem eorum adegerint reſpondentem vi argumentationis. Quinque adferuntur ab Ariſtotele 1. Elenc. cap. 3.

Primus eſt redargutionis, ſeu reprehenſionis, cùm is qui reſpondet, eò adducitur, vt neget quod in eadem diſputatione conceſſit; vt ſi neges te iam ambulare, ſic Sophiſta contendet; quidquid eras heri iam etiam nunc es; ſed heri eras deambulans; ego etiam nunc deambulas.

Secundus falſum, quando qui reſpondet, cogitur admittere quod eſt apertè falſum; vt quidquid non repugnat, fieri non repugnat vt ſit; at album non repugnat fieri nigrum; ergo non repugnat album eſſe nigrum.

Tertius eſt paradoxum, ſeu inopinabile, cùm

reſpondens cogitur fateri, quod licet per ſe non ſit falſum, tamen apud authores non probatur; vt bonum non parit malum; veritas bona eſt, odium malum; ergo veritas non parit odium.

Quartus eſt ſolœciſmus, quando reſpondens cogitur concedere quæſtionem in qua eſt ſolœciſmus, vel cogitur ipſe committere ſolœciſmum; vt tu noſti hunc hominem; hic homo eſt Plato; ergo tu noſti Plato.

Quintus nugatio, eſt eiuſdem verbi inutilis repetitio; vt Petrus eſt homo, homo; ex quibus omnibus patet Sophiſmata quæ ratione ſolius materiæ peccant, negatione earum ſumptionum quæ probabiles videntur, nec ſunt, diſſoluenda eſſe, vel ſi dubiæ aut ambiguæ ſunt, explicandas & diſtinguendas eſſe, vel interdum conceſſis duabus præmiſſis neganda eſt conſequentia, vt clariùs patebit ex areola ſequenti.

Areola Sophistica.

Sophiſmata ſeu captioſas argumentationes depromunt Sophiſtæ ex duplici genere locorum; alij enim ſunt in dictione, alij extra dictionem, id eſt, in rebus ipſis; in dictione ſunt, homonymia, amphibologia, accentus, figura dictionis, compoſitio, diuiſio: extra dictionem, & in rebus ipſis ſunt 7. Primus eſt fallacia accidentis. Secundus à dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter. Tertius ignorantia Elenchi. Quartus fallacia conſequentis. Quintus petitio principij. Sextus non cauſa, vt cauſa. Septimus eſt multiplex interrogatio.

Primus ab homonymia fit, quando ex ambigua alicuius vocabuli ſignificatione, captioſa aliqua ra-

tiocinatio conficitur; vt inuiſum eſt odioſum: Deus eſt inuiſus; igitur Deus eſt odioſus. vbi in maiori inuiſum accipitur nominaliter, pro inuidendo & deteſtando, in minori participialiter, pro inuiſibili. Hæc argumenta peccant in materia, quia falſum proponunt, vel ſubſumunt; & in forma, quia conſtant quatuor terminis, cùm medius terminus æquiualeat duobus, propter duplicem acceptionem; ſoluuntur autem explicatione vocis ambiguæ, ſeu homonymæ.

Secundus amphibologia, quando oratio habet plures ſenſus; vt ſi dicas qui littus arat, terram aratro proſcindit; ſed qui operam perdit littus arat; ergo qui operam perdit, terram aratro proſcindit. Diſſoluuntur diſtinctione orationis huius ambiguæ, littus arare, quæ in propria ſignificatione ſignificat terram aratro proſcindere, in metaphorica autem, operam perdere, vnde patet fallacia, quia tranſit à propria ſignificatione illius orationis ad metaphoricam.

Tertius accentus, cùm quis fallitur ob varietatem accentus; vt qui leporem conſectatur, multa loca luſtrare cogitur; ſed qui domi cum amicis confabulatur ſequitur leporem; ergo qui domi cum amicis confabulatur, multa loca luſtrare cogitur. Vitioſus eſt hic ſyllogiſmus, quia medium in maiore ſumitur in vna ſignificatione, & in altera in minore; vnde virtute ſunt 4. termini, quod in ratiocinatione eſt vitioſum. Ad quod genus fallaciæ reducuntur aliæ quæ fiunt circa quantitatem; vt omnis populus eſt arbor; multitudo ciuitatis eſt populus; ergo multitudo ciuitatis eſt arbor.

Quartus eſt figura dictionis, cùm analogia, ſeu

ſimilitudine vocis fallimur; vt ſi quis Poëtam fœminini generis eſſe putet, quia muſa eſt fœminini generis; vel cùm aliqua putantur habere aliquam proprietatem logicam, propter ſimilitudinem vocum in qua conueniunt; vt video, audio, eſſe categoriæ actionis, quia doceo, & percutio ſunt illius categoriæ: nam video, audio, & verba ſenſuum, ſunt generis & categoriæ paſſionis; vel cùm ab vno prædicamento, fit tranſitus in alterum; vt quod perambulas id pedibus conculcas; ſed totum diem perambulas; igitur totum diem pedibus cõculcas. Hîc enim fit tranſitus à corpore, quod eſt ſubſtantia, ad tempus, quod eſt quantitas: vel cùm demigramus ab vno loquẽdi genere, ad aliud; vt qui dicit te eſſe animal, verũ dicit; qui dicit te eſſe aſinũ, dicit te eſſe animal; ergo qui dicit te eſſe aſinũ, verũ dicit. Maior vera eſt, quia habet ſenſum indefinitũ, & confuſum quidpiam prædicatur de indiuiduo; in minori verò dicitur quidpiam definitum de definito, id eſt, indiuidum de indiuiduo; vel ſaltem de ſpecie, ideóque ſenſum habet falſum; vel cùm tranſitur de ſpecie ad indiuiduum; vt quod ego ſum tu non es; ego ſum homo; ergo tu non es homo. Hîc proponitur de indiuiduo, aſſumitur de ſpecie, licet enim tu non ſis illud idem indiuiduum quod ego ſum, ambo tamen participes ſumus vnius eiuſdémque ſpeciei, nempe, naturæ humanæ.

Quintus eſt compoſitio, cùm à ſenſu diuiſo vero, ad compoſitum falſum progredimur. Cõpoſitus ſenſus propoſitionum modificatarum eſt quando conſtat duobus concretis accidentibus, quæ ſignificantur eidem, eodem tempore conuenire: diuiſus quando ſignificantur conuenire poſſe eidem

diuerſis temporibus; vt qui poteſt ambulare, fieri poteſt vt actu ambulet; at, qui ſedet, poteſt ambulare; igitur fieri poteſt vt ſedens actu ambulet. Naſcitur hæc fallacia, quia non ſeruatur identitas temporis in antecedente, & conſequente; nam antecedentis ſenſus eſt, qui iam ſedet poteſt ambulare, non quidem iam cùm ſedet ſed alio tempore; at in conſequente, colligitur eodem tempore, vnde apertè non valet, vno tempore dormio, & altero vigilo; igitur ſimul dormio, & vigilo.

Sextus ſuperiori contrarius, eſt diuiſio, cùm à ſenſu compoſito vero, ad ſenſum diuiſum falſum progredimur; vt impoſſibile eſt ſedentem ſtare; igitur impoſſibile eſt eum qui ſedet ſtare; cuius ſolutio patet ex præcedenti.

Duæ ſunt regulæ, quibus cognoſcere poſſumus, quando ſenſus orationis eſt compoſitus, & quando diuiſus, in his maximè propoſitionibus in quibus naſcitur talis sẽſus ex aliqua voce, quæ media inter alias, poteſt priores, & poſteriores referri. Prima eſt, quoties vox aliqua inter aliquas duas æquabili propinquitate poſita eſt, cum quarum vtraque aptè connecti poteſt, ſi ea ad priorem vocem referatur, ſenſus erit compoſitus, ſi verò ad ſequentem diuiſus; vt quidquid viuit ſemper erit; ſed tu viuis; ergo ſemper eris; ſi aduerbium, ſemper, referatur ad verbũ, viuit, ſenſus erit cõpoſitus, & verus: ſi autẽ ad verbũ, erit, diuiſus dicetur, & falſus. Secunda ſi vox interiecta, non fuerit ex æquo propinqua priori & poſteriori voci, ſi propinquiori iungatur, ſenſus dicetur compoſitus; ſi verò minus propinquè, & remotiori diuiſus; vt quicunque ſcit litteras, nunc didicit litteras; philoſophus

ſcit litteras; igitur nunc didicit: ſi aduerbium, nunc, iungatur verbo didicit, ſenſus erit compoſitus, & falſus, ſi verò ſcit, diuiſus, & verus.

Loci vel fallaciæ extra dictionem, ex in ipſis rebus, ſunt 7. Primus eſt fallacia accidentis, propter diuerſitatem accidentis, vel ſubiecti, quam qui non aduertit; putat quidquid vni conuenit conuenire, vel non conuenire alteri; vt animal eſt genus; homo eſt animal; igitur homo eſt genus. neganda eſt conſequentia, & explicandum quomodo, licet homo, ſit animal, non tamen ei conuenire omnia accidentia quæ conueniunt animali; vt eſſe genus, ſicut nec etiam habere plumas.

Secundus à dicto ſecundùm quid, ad dictum ſimpliciter. eſt autẽ dictũ ſimpliciter dictio ſũpta ſine determinatione; vt homo, animal: dictũ ſecundùm quid, eſt dictio ſũpta cũ determinatione; vt homo albus, Dialecticus: bonus Petrus eſt bon' dialecticus; igitur eſt bonus: aliter enim ſumitur bonus in antecedente, ſcilicet, pro perfecto in arte dialectica, aliter in conſequente, putà, pro bono moraliter: ſic è contra, à dicto ſimpliciter, addictum ſecundùm quid; vt arma ſunt reſtituenda domino; ergo domino etiam furioſo: licet homini Chriſtiano veſci carnibus; ergo eidem licet veſci carnibus in quadrageſima. Neganda eſt autem conſequentia, eodémque modo explicanda, quo præcedens.

Tertius eſt ignoratio Elenchi, ſeu inſcitia contradictionis, cùm putantur contradictoria, quæ non ſunt, defectu alicuius conditionis ſupra allatæ in definitione oppoſitionis; vt qui probare vellet ab aliquo cõcedi contradictoria, quia fatetur ſe minorẽ monte, & maiorẽ formica, ſic eſſe maius & mi-

nus ſunt contradicentia; ſed per te, homo eſt maior & minor: ergo per te contradicentia ſunt ſimul vera. ſoluitur autem, quia maior intelligitur, reſpectu diuerſorum. Cæterùm Elenchus definitur ſyllogiſmus contradictionis, id eſt, inferens concontradictoriũ eius quod conceſſum eſt, vel ſimul inferens duo contradictoria, ſi verum probat verus Elenchus appellatur, ſi autem falſum, ſophiſticus.

Quartus eſt fallacia conſequentis, quando nimirum, ſicut ex antecedente vero rectè infertur conſequens; vt eſt homo; ergo eſt animal: ſic ex conſequente vero; infertur ſemper antecedens; vt omnis homo eſt animal; ergo omne animal eſt homo: vel quando ex oppoſito antecedentis, infertur oppoſitum conſequentis; vt non eſt homo; ergo non eſt animal: vel quando exiſtimamus attributa reciprocari, & conuerti cum ſubiectis, quæ non conuertuntur, & reciprocantur; vt aurum eſt flauum; mel eſt flauum; igitur mel eſt aurum. Huc reuocantur omnes fallaciæ quæ naſcuntur ex puris affirmantibus in ſecunda figura.

Quintus eſt petitio principij, cùm, ſcilicet, illud pro certo ſumitur, quod æquè eſt controuerſum & dubium; quod contingit quando concluſio probanda aſſumitur tanquam principium indubitatum; vt ſi quis probet hominem eſſe animal rationis capax, quia eſt rationis capax: vel ſi Petrum iuſtũ eſſe dicat, quia omnis homo eſt iuſtus; cui fallaciæ occurretur ſola negatione eius quod aſſumitur.

Sextus à non cauſa, vt cauſa, id eſt, quando id quod non eſt, cauſa, pro cauſa ſumitur; vt ſi vinum, vel diuitias malas, eſſe dixeris, quia iis multi abutuntur; vel tollendam eſſe Dialecticam, quia

ea præditi Sophiſtæ multos decipiunt; potiùs enim dicendum fuit, tollendos eſſe huiuſmodi homines, qui ſunt cauſa huius mali.

Septimus vocatur multiplex interrogatio, id eſt, quando ex multis interrogationibus fit vna; vt Petrus éſtne homo & equus: ſi enim reſpondeas eſſe, ſtatim colliget alterum; ergo Petrus eſt equus; ſi contrà, reſpondeas non eſſe, inſurget dicens; ergo Petrus non eſt homo: ad quam fallaciam reprimendam, non oportet vna reſponſione ſatisfacere petenti multa, quibus non niſi multis reſponderi poteſt, ſed tot reſponſiones reddendæ, quot implicitæ ſunt in interrogatione, vel etiam nonnunquam adhibenda eſt diſtinctio.

Porrò ad planiorem cauillationum ſophiſticarum explicationem, conferet plurimùm noſſe quaſdam nominum affectiones, quoniam ex eorum multiplici vſu, maiori ex parte texuntur huiuſmodi fallaciæ; vt docet Ariſtoteles Elenchorum cap. primo. ſunt autem illæ, ſuppoſitio, ſtatus, ampliatio, reſtrictio, diminutio, alienatio, & appellatio, de quibus paucis ſigillatim tractandū eſt.

Primo igitur declarandum eſt quid ſit ſuppoſitio; eſt autem vſus, vel acceptio nominis pro ſe vel pro re quam ſignificat. Dicitur autem talis acceptio ſuppoſitio, qua quando adhibentur nomina ad res ſignificandas, & declarandas, videntur ipſa nomina, quaſi ſuffici & conſtitui, loco rei ſignificatæ; cùm enim res de quibus diſputamus non poſſimus afferre in medium, nominibus, quaſi rerū notis, vti cogimur; quare terminum vel nomen ſupponi pro re ſignificata, eſt ſumi pro re ſignificata, & vices eius gerere; vt calculi, qui in ſubdu-

cendis rationibus. ſumuntur pro aureis, dicuntur ſupponi pro aureis & eorum vices gerere; & ſicut qui rationes ſubducit, non ignorat calculos non eſſe ipſos aureos, pro quibus ſumuntur: ſic Philoſophi non ignorant voces ipſas, vel nomina non eſſe res ipſas ſignificatas, ſed earum loco tanquam vicarias ſumi. Sunt autem variæ diuiſiones ſuppoſitionis, quarum prima eſt in ſuppoſitionem materialem, & formalem: materialis, eſt acceptio vocis pro ſeipſa, modò ſeipſam non ſignificet; vt in hac propoſitione, homo eſt vox aliqua; homo eſt dyſſyllabum conſtans tot litteris: Nam dictiones pro materia habent vocē, ſonum, litteras, ſyllabas: dixi modò ſeipſam non ſignificet, quia ſi ſeipſam ſignificauerit, acceptio eius erit ſuppoſitio formalis, qualis eſt in ſubiectis harū propoſitionū, nomen eſt vox; vox eſt ſonus, ſonus eſt qualitas: ſicut enim nomen alia nomina ſignificat, ſic etiam ſeipſum & vox, & ſonus, ſimiliter. Formalis ſuppoſitio eſt acceptio nominis pro re ſignificata, cuius multæ ſunt ſubdiuiſiones. & primò quidem in propriam, & impropriam: propria, eſt acceptio nominis pro re quam propriè ſignificat; vt in hac propoſitione, leo eſt fortiſſimus beſtiarum: impropria verò, eſt acceptio nominis, pro re quam impropriè ſignificat; vt leo, pro viro forti: ſic cùm dicitur, vicit leo de tribu Iuda; ſumitur enim per tranſlationem, pro Chriſto Domino; propria ſuppoſitio formalis diuiditur in ſingularem, & communem: illa eſt cùm loco nominis ſingularis, vtimur periphraſi nominis communis, & pronominis demonſtratiui; vt hic ſcholaſticus eſt diligens; ſuppoſitio communis, eſt acceptio nominis pro

ſuo ſignificato, aut ſuis ſignificatis; vt in hac propoſitione, homo eſt præcipua ſpecies animalium; omnis homo mendax. Rurſus ſuppoſitio cōmunis eſt triplex, ſimplex, perſonalis, & abſoluta; ſimplex, eſt acceptio præciſa nominis communis, pro ſuo immediato ſignificato; vt homo in hac propoſitione, homo eſt ſpecies animalis; homo enim primò ſignificat hominem, in communi, cui conuenit eſſe ſpeciem, & ſecundariò homines ſingulos, quos comprehendit ſua ſignificatione; vnde hæc propoſitio non affirmat hunc, aut illum hominem eſſe ſpeciem animalis, ſed hominem communem, quem immediatè ſignificat vox, homo; præcisè tamen ſpectatum, id eſt, quatenus intelligitur abſtractus à ſingulis hominibus. Ad quam ſuppoſitionem formalem communem, & ſimplicem cognoſcendam, ſciendum eſt, nullum nomen cōmune, notatum ſigno aliquo ſiue vinuerſali, ſiue particulari, accipi ſimpliciter, nam quando dicitur omne animal, vel aliquod animal, ſemper accipitur animal, pro animalibus quæ ſub animali communi continentur: ſed tantùm quando ſumitur ſimpliciter, & ſecundùm ſe, id eſt, quando nullo ſigno notatur, nec ſub illo licet deſcendere. Suppoſitio perſonalis, eſt acceptio nominis communis pro ſuis mediatis ſignificatis, id eſt, pro ſuis inferioribus; vt omne animal ſentit; quoddam animal ratiocinatur; quoddam animal eſt ſpecies infima; quoddam animal eſt indiuiduum. Vocatur autem ſuppoſitio perſonalis, quia præcipuè res ſingulares, pro quibus nomen commune, hoc ſuppoſitionis genere accipitur, ſicut perſonæ. Ad hanc ſuppoſitionem cognoſcendam, traduntur hæ regulæ;

nullum nomen, quod accipitur ſimpliciter, accipitur perſonaliter. omne nomen commune notatum aliquo ſigno vniuerſali, aut particulari, accipitur perſonaliter. omne nomen ſub quo licet deſcendere, accipitur perſonaliter. Suppoſitio abſoluta, eſt acceptio nominis communis pro ſuo immediato ſignificato, non præciſo tamen; quæ ſuppoſitio affertur à Fonſeca lib. 8. ſuæ inſtit. cap. 26. vt homo eſt animal, in qua propoſitione, non eſt ſenſus, quod hic, aut ille, aut aliquis alius duntaxat, aut ſolus homo, præciſè ſumptus, ſeu quod idem eſt, abſtractus à ſinguls, ſit animal: ſed quod homo communis abſolutè acceptus, etiam quatenus eſt in ſingulis hominibus ſit animal: huiuſmodi ſunt hæ propoſitiones, modus differendi explicatur à Dialectico; res naturalis tractatur à Phyſico, quæ abſoluta ſuppoſitio, media eſt, inter ſimplicem, & perſonalem; nam ſimplex, eſt acceptio nominis communis, pro immediato ſignificato præcisè; perſonalis, pro mediatis: abſoluta verò, quatenus eſt acceptio nominis communis, pro immediato ſignificato, conuenit cum ſimplici. quatenus autem non excludit mediata ſignificata, conuenit cum perſonali, & quidem magis; quia abſoluta nunquam eſt ſine perſonali, cùm tamen detur aliqua perſonalis, quæ non ſit abſoluta; vt in ſubiectis harum propoſitionum, aliquod animal eſt ſpecies infima; aliquod animal eſt indiuiduum. iam perſonalis ſuppoſitio diuiditur in naturalem, accidentalem, determinatam, & confuſam, quæ confuſa ſubdiuiditur in diſtributiuam, & collectiuam ſeu copulatam, naturalis eſt acceptio nominis communis pro omnibus ſuis ſignificatis;

vt homo, in hac propoſitione, omnis homo eſt animal: accipitur enim homo, pro omnibus hominibus veris, & non fictitiis, qui ſunt, fuerunt, erunt, & eſſe poſſunt. Accidentalis eſt acceptio nominis communis, non pro omnibus ſuis ſignificatis; vt omnis homo occupat locum hac hora; in ea enim ſumitur, homo, pro ſolis hominibus qui viuunt. Determinata, eſt acceptio nominis communis pro omnibus ſuis ſignificatis diſiunctiuè; vt aliquis homo currit; ſignificat, quòd iſte homo currit, vel ille homo currit, & reliqua ſimiliter ſingularia. Ad cuius ſuppoſitionis determinatæ veritatem declarandam, ſatis eſt, vt veritas oſtendatur in vno indiuiduo; ad falſitatem verò in omnibus eſſe docendum eſt. Confuſa, eſt acceptio nominis communis pro omnibus ſuis inferioribus coniunctim, quod fit cùm pro omnibus ſimul, & non ſeorſim reſpectu vnius ſubiecti, vel prædicati ſumitur; vt equus ad equitandum eſt neceſſarius; ſenſus enim eſt neceſſarius eſt ad equitandum iſte equus, vel ille, vel alius, non tamen de ſingulis ſeorſim; iſte equus eſt neceſſarius ad equitandum, & ille eſt neceſſarius; quia eſt falſa, quoniam alius equus ab illo, poſſet eſſe vſui ad equitandum; huius ſuppoſitionis confuſæ veritas & falſitas, eodem modo declaratur, ac determinatæ. Diſtributiua, eſt acceptio termini communis pro omnibus ſuis ſignificatis diſtributiuè ſumptis, id eſt quando ita ſumitur, vt ſingula ſeorſim reſpectu eiuſdem prædicati, vel ſubiecti in propoſitione diſtributiua reſoluantur; vt omnis homo currit, id eſt, iſte homo currit, & ille homo currit, & hic homo currit, & reliqui, demonſtrando ſingulos homines, cum eo-

dem prædicato. Itaque diſtributiua propoſitio neceſſario requirit veritatem in ſingulis indiuiduis; vt autem falſa ſit, ſatis eſt, oſtendere falſitatem eſſe in vna. Copulata vel collectiua ſuppoſitio, eſt acceptio nominis communis pro ſuis ſignificatis collectiuè ſumptis; vt omnes Apoſtoli Christi ſunt 12. id eſt iſti Apoſtoli & iſti, & alij ſimul ſunt duodecim; vt autem copulata vera eſſe demonſtretur, neceſſe eſt oſtendere veritatem in omnibus indiuiduis ſimul ſumptis; itidem etiam vt falſa ſit, declaranda eſt falſitas in omnibus ſimul ſumptis. Vt hæc faciliùs intelligantur, tenendæ ſunt ſequentes regulæ; ſi tamen priùs notauerimus quid ſit diſtributiuè, & collectiuè ſumi, diſtributiuè igitur ſumi, vel etiam diſtribui dicitur terminus, communis in propoſitione, quando licet ſingularia ſeparare reſpectu eiuſdem prædicati; vt quatuor homines, vel omnes homines currunt; tunc enim licet reſoluere, iſte currit, & iſte currit, & ſic de cæteris. Collectiuè autem ſeu confusè ſumitur, vel confundi dicitur terminus communis, quando non licet ſeorſim reſoluere ſingularia; vt 4. equi trahunt currum: omnes Scholaſtici ſunt centum.

Prima eſt regula, ſigna ſyncategorematica vniuerſalia affirmantia diſtribuunt proximos terminos, & remotos confundunt; vt omnis homo eſt animal; ſenſus enim eſt, hic homo eſt hoc, vel illud animal, & ille homo eſt hoc vel illud animal, & ita deinceps. Obſeruandum tamen eſt ſi hæc ſigna addantur terminis genericis, diſtribuere quidem ſpecies, confundere tamen indiuidua, ſiue, vt vulgò loquuntur, ſumi pro generibus ſingulorum, id eſt, pro ſpeciebus indiuiduorum, non autem pro ſingulis

gulis generum, id eſt, pro indiuiduis ſpecierum; vt omne animal fuit in arca Noë, id eſt, hæc & illa ſpecies animalis fuit in arca Noë.

Secunda, ſigna ſyncategorematica vniuersè negantia diſtribuunt omnes terminos; vt nullus homo eſt lapis, id eſt, neque hic, vel ille homo eſt hic vel ille lapis.

Tertia, ſigna particularia determinant proximos terminos; vt aliquis homo eſt animal, id eſt, hic, vel ille homo eſt animal.

Quarta, terminus communis ſine ſigno ſumitur interdum determinatè; vt homo eſt iuſtus, id eſt, hic, vel ille homo determinatus eſt iuſtus; interdum verò confusè; vt nauis neceſſaria eſt proficiſcenti in Indiam; ſenſus enim eſt, hanc, vel illam nauim in confuſo eſſe neceſſariam, non tamen determinatè hanc vel illam.

Quinta, ſigna ſyncategorematica ſemper efficiunt ſuppoſitionem perſonalem; nam licet hæc ſit materialis, homo eſt nomen; & iſta, homo eſt ſpecies, ſit ſimplex formalis, tamen vbi dicitur omnis homo eſt nomen, & omnis homo eſt ſpecies, eſt ſuppoſitio perſonalis, ac proinde falſæ ſunt huiuſmodi propoſitiones.

Sexta, ſigna mixta, tam affirmantia, quàm negantia ſeipſa diſtribuunt; numquam enim ſignificat neque hoc, neque illo tempore, ſemper, hoc tempore, & illo; particularia ſeipſa determinant; vt aliquando, interdum, ſignificant enim hoc, vel illo tempore. Negantia vniuersè diſtribuunt omnes terminos quibus iunguntur; vt numquam homo eſt lapis, id eſt, numquam hic, & ille homo eſt lapis: affirmantia autem vniuersè confundunt

omnes terminos; vt ſemper homo eſt bipes, id eſt, ſemper vel hic, vel ille homo eſt hoc vel illud bipes: particularia verò relinquuntur in eadem ſuppoſitione, in qua erant antè ſine ſuo ſigno.

Septima, dictio, alter, confundit terminum ſibi proximum; vt alter oculus eſt dexter, id eſt, hic, vel ille eſt dexter.

Octaua, Neuter, & vterque, diſtribuunt; vt neuter oculus eſt in digito, id eſt, neque hic, neque ille; vtraque manus habet quinque digitos, id eſt, hæc, & illa.

Nona dictiones numerorum ſeipſas aliquando diſtribuunt; vt quatuor homines currunt; ſenſus enim eſt, primus, ſecundus, tertius, & quartus currunt: aliquando verò copulatè ſumuntur; vt 4. equi trahunt totam nauem, id eſt, primus, ſecundus, tertius, & quartus ſimul trahunt nauem.

Decima, quædam reperiuntur verba quæ in terminum communem I. transferunt ſuam actionem; vt polliceor, deſidero, debeo, requiritur, neceſſarius eſt; & hæc confundunt proximos terminos; vt polliceor tibi equum. Ex quibus omnibus colligimus, quàm neceſſaria ſit harum ſuppoſitionum cognitio, præſertim cùm Sophiſtæ his abuti ſoleant, contra quos hæc imprimis valet regula; vt in eodem argumento, & iiſdem terminis, eadem ſit ſemper ſuppoſitio, nec à materiali ad formalem, vel à ſimplici ad perſonalem, fiat progreſſus; tunc enim nihil rectè infertur, quoniam virtute, & ſignificatione ſunt 4. termini, nec ſit apta medij cum extremis collocatio, proindéque vitioſa eſt figura.

Reſolutio terminorum tam inferiorum, quàm

ſuperiorum, quibus multiplex eorum vſus, vel ſenſus declaratur, vocari ſolet à dialecticis aſcenſus, & deſcenſus: eſt autem aſcenſus, progreſſio à ſingularibus ſufficienter enumeratis, ad vniuerſale, vnde vocatur communiter inductio; vt iſte ignis calefacit, & ille calefacit, &c. ergo omnis ignis calefacit; deſcenſus contrà, eſt progreſſio ab vniuerſali ad ſingularia; vt omnis ignis calefacit; ergo iſte calefacit, & iſte calefacit, & ſic de cæteris. Vtimur aſcenſu maximè ad probandam, vel manifeſtandam veritatem alicuius vniuerſalis propoſitionis, quod fit enumeratis omnibus, vel maiori ex parte, ſingularibus, quibus cætera ſimilia eſſe vero ſimile ſit; deſcenſu verò ad oſtendendam falſitatem alicuius propoſitionis vniuerſalis, ad quam non eſt neceſſarium deſcendere ad omnia ſingularia, ſub vniuerſali diſtributo, contenta, cùm falſitas, ex vnius ſingularis defectu; veritas ipſius vniuerſalis, ex omnium ſingularium poſitione proueniat: quàm varius autem ſit huiuſmodi aſcenſus, & deſcenſus, & quibus regulis cognoſci poſſint, fuſiſſimè tradit Toletus lib. 2. ſuæ Introduct. capitibus 4. 5. & 6.

Ex comparatione terminorum, cum præcipuo verbo enunciationis oriuntur quædam accidentia ipſorum terminorum; vt ſtatus, ampliatio, diſtractio, reſtrictio; ſi enim terminus ſumatur adæquatè, pro iis rebus, quæ exiſtunt in tempore adſignificato per verbum principale, tunc habet ſtatum ſuæ ſuppoſitionis: cùm pro pluribus, ampliatur; cùm pro iis tantùm quæ ſunt in alio quodam tempore, diuerſo à tempore verbi tunc diſtrahitur; cùm tandem eius ſtatus ampliatio, vel diſtractio

additione alicuius vocis ad pauciora contrahitur, dicitur reſtringi, vt conſtabit ex ſequentibus. Eſt autem principale verbum, copula ſeu verbum ſubſtantiuum, eſt, vt in hac propoſitione, homo eſt animal, aut verbum includens copulam; vt in hac, animal quod ſentit, viuit; in hac enim, viuit, eſt præcipuum verbum, quoniam idem ſignificat ac eſt viuens.

Status ergo definitur, acceptio termini, pro omnibus ſignificatis, ſecundùm tempus, quod per verbum præcipuum adſignificatur, id eſt, quando terminus ſumitur pro ſuis ſignificatis in eodem tempore, in quo verbum præcipuum propoſitionis. Status huiuſmodi eſt triplex, pro triplici differentia temporis, ſcilicet, præſentis, præteriti, & futuri: exemplum primi, ſedens diſputat, ſenſus enim eſt, ſedens hoc tempore, in eodem tempore eſt diſputans; exemplum ſecundi, qui ſedebat diſputabat; exemplum tertij, qui ſedebit, diſputabit; quoties igitur terminus ſine reſtrictione, ampliatione, aut diſtractione ſumitur pro ſuis ſignificatis, prout exigit differentia temporis verbi cum quo iungitur, habet ſtatum ſuæ ſuppoſitionis; ſi verò reſtringatur; vt in hac propoſitione, ſedēs in cathedra diſputat, non ſeruatur ſtatus; quia ſedens, non ſumitur pro omnibus ſedentibus hoc tempore, ſed pro ſolis ſedentibus in cathedra: ſic cùm ampliatur; vt homo eſt animal, ſumitur enim, homo, non pro ſolis hominibus iam exiſtentibus, ſed pro omnibus qui ſunt, fuerunt, vel erunt, vel eſſe poſſunt. Notandum etiam eſt in omnibus propoſitionibus contingentibus, quæ non ſunt veræ quolibet tempore, ſed eo tantùm quo ſubiectum actu

exiſtit, ſubiectum ipſum habere ſtatum præſentis temporis; vt paries eſt albus; omnis homo eſt iuſtus, in quibus ſumitur ſubiectum adæquatè pro ſolis nunc exiſtentibus.

Ampliatio, eſt extenſio termini ad aliam temporis differentiam diſiunctim ſumptam, præter eam quæ importatur per copulam verbi perſonalis: vel eſt extenſio termini à minori ad maiorem ſuppoſitionem, vt cùm terminus ſumitur in vna propoſitione, pro re in tempore præſenti exiſtente, dicitur habere ſuum ſtatum; quando verò indifferenter, & diſiunctim ſimul pro tempore præſenti, & alio tempore ſumitur, dicitur ampliari; vt in hac propoſitione, iuſti in perpetuum viuent; quia nomen, iuſti, non tantùm accipitur pro futuris iuſtis, ſed etiam pro præſentibus. Eſt autem triplex ampliatio. Prima temporum tantùm, quæ conuenit ſolis terminis ſingularibus, quando, ſcilicet, terminus, ſecundùm plures temporum differentias, diſiunctim ſupponitur; vt Ioãnes fuit deuotus, id eſt, Ioannes qui eſt, vel fuit; tempora autem, ſecundùm quæ termini ampliantur, apud Dialecticos ſunt 5. præſens, præteritum, futurum, poſſibile, & imaginarium. Secunda temporum & ſuppoſitorum, quæ conuenit tantùm vniuerſalibus, cùm enim plura ſignificet terminus vniuerſalis, non ſolùm ſecundùm tempus, ſed etiam ſecundùm communicationem pluribus ſuppoſitis, ampliari poteſt; vt multi homines ſaluabuntur, nam ſubiectum non ſolùm pro præſentibus, ſed etiam pro futuris ampliatur. Tertia temporum, & formarum, quæ ſolis connotatiuis competit; cùm enim connotatiuum præcipuè for-

mam ſignificet, ſecundùm eam ampliatur; vt dulce fuit amarum, vbi ſubiectum dulce ampliatur; quia ſenſus eſt, quod modò, vel habet, vel habuit dulcedinem, fuit amarum. Traduntur autem quinque regulæ ampliationis. Prima eſt, verbum præteriti temporis efficit, vt ſubiectum cui iungitur, pro præſenti & præterito ſumatur, ſuum verò appoſitum reſtringit ad tempus præteritum; vt præceptor docuit, id eſt, præceptor qui eſt, vel fuit, docuit. Secunda, verbum futuri temporis efficit, vt terminus cui iungitur, ſumatur pro præſenti, & futuro; vt Petrus docebit, nempe, qui eſt, vel erit, appoſitum autem, nempe, doctrinam reſtringit ad futurum. Tertia, verbum ſignificans incipere eſſe, vel actionem quâ res incipit eſſe, vel eſſe priùs, ampliat pro præſenti, & futuro; vt pluuia incipit eſſe, ea, ſcilicet, quæ eſt, vel erit; ædifico domum, quæ eſt, vel erit; puer prior eſt ſene, qui eſt, vel erit. Contrà verò verbum ſignificans deſitionem, vel deſtructionem, vel poſterius, ampliat pro præterito, & præſenti; vt pluuia deſinit eſſe, id eſt, pluuia quæ fuit, vel eſt. Quarta, verbum, poteſt, & aduerbia illud includentia; vt poſſibiliter, impoſſibiliter, neceſſariè, & nomina ſignificantia poſſibilitatem exiſtentiæ; vt corruptibilia ampliant pro præterito, præſenti, & futuro; vt roſa corrumpi poteſt, id eſt, roſa quæ fuit, eſt, & erit, vel eſſe poteſt. Quinta, verba quæ animi actionem ſignificant, ampliant pro præterito, præſenti, & futuro, item pro poſſibili, & imaginabili; vt Alexander magnus imperium orbis appetebat, id eſt, orbis qui fuit, eſt, erit, poteſt eſſe, & fingi. Notabis ergo captioſam eſſe argumentationem, in qua va-

riatur ampliatio, vt ſi à termino minùs amplo, progreſſio fiat ad ampliorem, & communiorem. Notabis etiam, quod ſicut argumentari licet à termino ſuperiori diſtributo, ad inferiorem affirmatiuè, & negatiuè; vt omne animal currit; igitur homo currit: & nullum animal currit; igitur homo non currit. Sic ab amplo termino diſtributo, ad non amplum, valet affirmatiuè, & negatiuè; vt omnis homo poteſt loqui; ergo homo qui eſt, poteſt loqui: & nullus homo poteſt eſſe lapis; ergo nullus homo eſt lapis: ſicut tamen à ſuperiori non diſtributo, ad inferiorem non valet; vt animal currit; igitur homo currit: ſic non valet ab amplo non diſtributo, ad non amplum; vt non ſequitur; homo poteſt diſputare; ergo diſputat.

Diſtractio termini, fit cùm in alio tempore vſurpatur terminus, & in alio verbum præcipuum; vt cæci vident; nam vident, eſt præſentis temporis, cæci præteriti, id eſt, qui fuerint cæci, nunc vident. Fieri autem poteſt ſex modis; vt patet his exemplis. Primùm, qui didicit, docet. Secundùm qui docet, didicit. Tertiò, qui diſcit, docebit. Quartò, qui docebit, diſcit. Quintò, qui didicit, docebit. Sextò, qui docebit, didicit.

Reſtrictio, eſt termini contractio, éſtque contraria ampliationi; fit enim cùm ratione temporis reſtringitur, ſiue coarctatur terminus, qui antea latiùs patebat; vt ſi quis dicat, ſedens ſtat; ſi enim dicamus, ſedens nudiuſtertius ſtat, terminus, ſedens, reſtringitur. Fit autem reſtrictio quatuor modis. Primò, cum additur adiectiuum; vt omnis homo iuſtus abhorret à vitiis. Secundò, cùm additur copula, quam vocant implicationis; vt omnis

homo qui currit mouetur; vbi copula implicationis eſt, qui currit. Tertiò, cùm additur obliquus caſus ad rectum; vt omnis facies hominis erecta eſt ad cœlum. Quartò, cùm ſubſtantiuum inferius additur ſubſtantiuo ſuperiori; vt imperator Auguſtus Romanum geſſit principatum.

Alienatio, eſt traductio termini à propria ſignificatione ad impropriam; vt leo aureus eſt in foro; homo pictus eſt in aula: in his enim propoſitionibus ſubiecta traducuntur à propria ſignificatione, & ſumuntur pro ſimilitudinariis ſignificatis.

Diminutio vocatur, cùm additur aliquid, quod minuit ſignificationem prioris termini; vt Æthiops albus dentes; termini autem diminuti appellantur dicta ſecundùm quid. Cæterùm hæc regula pro vtraque tradi ſolet; non licere argumẽtari à termino alienato, ad abſolutum; vt non valet, leo aureus eſt in foro; ergo leo eſt in foro: ſic non valet à termino diminuto, ad abſolutum, ſeu ſimpliciter ſumptum; vt Æthiops eſt albus ſecundùm dentes; ergo eſt albus; in his enim committitur fallacia à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter.

De appellatione ſcribit Ariſtoteles lib. Elenc. cap. 4. nihil autem hîc aliud eſt appellatio, quàm applicatio ſignificati formalis vnius termini, ad formale, vel immediatum ſignificatum alterius; vnde reperitur tantùm inter duos terminos, quorum vnus alterum denominat, & terminus applicans ſuum formale, ſeu denominans, vocatur appellans, is autem cui applicatur, & denominatur, vocatur appellatum; vnde cùm dicitur homo albus, nomen albus, eſt appellans, & ho-

mo, appellatum; quia ille huic ſuum formale ſignificatum applicat. Cæterùm de appellatione ſunt aliqua notatu digna. primum quando terminus appellans eſt idem extremum cum ſubſtantiuo quod denominat, appellat formale ipſius ſubſtantiui; vt Petrus eſt Dialecticus magnus; nam magnitudo appellat Logicam, éſtque ſenſus, Petrus eſt præſtans Logicus: ſecus autem accidit ſi appellans non ſtet ex parte eiuſdem extremi, tunc enim fit appellatio ſupra materiale ſignificatum ſubiecti; vt hic Logicus eſt magnus, id eſt, hic homo qui eſt Logicus, eſt magno, vel procero corpore. nihilominus ſi formale ſignificatum prædicati, ſit de intrinſeca ratione formalis ſignificati ſubiecti, fiet appellatio, ſupra formale ſignificatum, etiamſi intercedat verbum ſubſtantiuum; vt album eſt coloratum. Secundò aduertendum eſt, cùm terminus in abſtracto ſubiicitur prædicato cōnotatiuo, appellatio fit ſupra formale ſignificatum ſubiecti; vt albor intenſus eſt, id eſt, hæc qualitas intenſa eſt; ratio verò huiuſce rei eſt, quia terminus abſtractus vni cum tantùm habet ſignificatum, ſcilicet formale, in quo differt à connotatiuo, quod duplex habet ſignificatum, vnum materiale, alterum formale: quando autem ſubiectum eſt terminus connotatiuus, prædicatum appellat ſupra materiale ſignificatum ſubiecti, niſi prædicatum ſit de eſſentia ſubiecti; vt Muſicus eſt Aſtrologus, ſenſus enim eſt, Muſico ineſt Aſtrologia, non autem Muſicæ, quæ eſt formale ſignificatum huius nominis connotatiui muſicus. Tertiò notandum eſt, numeralia attributa addita ſubſtantiuo, multiplicare formas, & ſuppoſita, ideóque repo-

nere ſuum formale ſignificatum, ſupra formale ſignificatum ſubiecti; vt tres homines ſunt iuſti, ſignificantur tria ſuppoſita habentia tres humanitates: ſecus autem accidit, quando attributa hæc numeralia coniunguntur ſubiecto adiectiuo, tunc enim multiplicant tantùm materiale ſignificatum; vt tres albi, id eſt, tres habentes albedinem, ſiue illa albedo ſit vna tantùm, & per miraculum abſolutâ Dei poteſtate poſita ſit in tribus ſubiectis, ſiue ſint tres albedines: quæ regula plurimùm valet in Theologia. Quartò, addunt nonnulli verba ſignificantia actum animæ noſtræ appellare formaliter, & applicare ſuum formale ſignificatum, ſupra formale ſignificatum ſubiecti; vt cognoſco venientem, ſenſus enim eſt, cognoſco eum qui venit, & cognoſco eum quatenus venit, ſed non eſt neceſſe vndecunque veras eſſe, vt patet ex iſta enunciatione, amo principem, quâ non ſignificatur me amare principem, quatenus princeps eſt: quare in huiuſmodi propoſitionibus conſulendus eſt communis loquendi vſus, vt ſecundùm ſubiectam materiam ſenſus propoſitionis colligatur.

INTERVALLVM IX.

Quæ argumentantis, quæve reſpondentis partes.

PRIVS explicabimus argumentantis partes; deinde reſpondentis. qui ergo argumentaturus eſt, vbi ſelegerit ex propoſitis theſibus, quæ minùs certæ videbuntur, & quas faciliùs validiúſque

impugnare ſe poſſe iudicat; aduertere debet, quo potiſſimùm fundamento nitantur, vt eò omnes argumentationis machinas dirigat; deinde expendat, an Ariſtoteli conſentiant, vel repugnent, an inter ſe cohæreant, an conſonent experientiæ, & rebus ſenſatis; quibus perſpectis ſic totam argumentationem, & argumentorum locos apud ſe contexat, vt primùm Ariſtotelis authoritatem opponat, allato illius aliquo teſtimonio, quod ex antecedentibus, & conſequentibus probè intelligat; deinde rationem, ac demùm experientiam, ſi materia propoſita permittat: cauere autem debet, vt monet Ariſt. lib. 1. poſteriorum c. 28. ne à ſuſcepto propoſito digrediatur, néue reſpondens aliò eum traducat; quare, id ſolùm confirmet, quod negatum fuerit; quamuis ſic inſtructus eſſe debet, vt quiduis reſpondeatur, ſiue concedendo, ſiue negando, etiam quod negandum non eſſet, progredi poſſit in eadem difficultate, quòd ſi ratio non ſuppetat, qua probet quod negatum eſt, petat ab aduerſario cauſam cur hoc, vel illud negauerit, vbi autem explicata fuerit difficultas, finem facere debet, ne tempus in vanum teratur, factis inutilibus repetitionibus; ad hæc dum argumenta proponet, ſeruet accuratè ſyllogiſmorum leges, adhibita quantum fieri poterit breuitate, & perſpicuitate; vbi autem argumentationem propoſuerit, reſpondentem ne interpellat, quamuis ſi minùs rectè repeteret iuuare eũ poſſet, aliquid ſuggerendo.

Reſpondentis munus eſt diligenter attendere ad ea, quæ ab aduerſario proponuntur, vt eius argumentum fideliter, etiam ad verbum, ſi poſſit, repetat, quæ eſt reſpondentis laus maxima, ſed cùm

iterum repetit, debet ſatisfacere ſingulis propoſitionibus, vtendo ſolùm his quatuor terminis. *Concedo*, in veris; *Nego*, in falſis; *Diſtinguo*, in dubiis; *Reſpondeo*, vbi aliquid quæritur, vel toti difficultati ſatisfaciendum eſt; ſi totum argumentum eſt impertinens ad id impugnandum quod defenditur, dicet, eſto, ſit ita, concedo totum, vt totum verum ſit, quid inde, vel vt vulgò barbarè, tranſeat. idem iudicium erit de antecedenti, ſi ex eo, ne apparenter quidem, infertur concluſio, ſiue concedatur, ſiue negetur. Meminerit autem, conceſſis duabus præmiſſis ſyllogiſmi, qui non peccat in forma neceſſariò admittēdam concluſionem; idem ſtatuendum eſt de conſequente, vel concluſione Enthymematis. quòd ſi ſyllogiſmus peccet in forma, & in Enthymemate, ex tali antecedente vero non ſequatur conſequens, tum conceſſis duabus præmiſſis; vel conceſſo antecedente, negabit conſequentiam: vbi notabis aliud eſſe negare conſequens, aliud negare conſequentiam; negat enim conſequens, qui negat concluſionem eſſe veram; negat verò conſequentiam, qui ſiue conſequens ſit verum, ſiue falſum, negat rectè inferri ex antecedēti; quando dubius eſt de antecedente diſtinguat, & quidem breuiſſimè duobus contradictoriis dicendó vel eſt hoc, vel non: ſi hoc, concedo, vel nego. &c. Conſequētiam autem diſtinguere maximè caueat, quoniam conſequentia non eſt dubia niſi quatenus propoſitio illata quæ eſt conſequens: eſt dubia, vnde non dicitur vera, vel falſa conſequentia, ſed bona, vel mala; denique rogatus, poterit aliquid explicando docere & rationem reddere.

Vtrique communis eſſe debet modeſtia, mo-

rum honeſtas, veritatis ſtudium, perſpicacitas, vt ſine vllis conuitiis, ſcommatibus, aut dicteriis integra diſputatio tranſigatur; quæ omnia crebra diſputandi exercitatione meliùs intelligentur.

PVLVINVS DISTINCTIVVS.

De vſu quarundam diſtinctionum.

Non ſine magna prudentia, Ariſtotelis interpretes, vt lucem aliquam, iis quæ ab ipſo dicta ſunt obſcurius, afferrent, quoſdam loquendi modos, & diſtinctionis formulas excogitarunt, ſi quidem liberum eſt, teſte ipſomet Ariſtotele cap. de relatis, in Philoſophia nouas voces confingere, vt vis & natura rei de qua agitur, magis appareat, vbi præſertim vrget neceſſitas, vel magna aliqua commoditas inuitat; qui loquendi modi approbandi & retinendi ſunt, ſimúlque addiſcendi, quamuis fortaſſe nonnihil abhorreant à communi elegantia, & conſuetudine loquendi, præcipuè qui frequentiùs in ore Dialecticorum verſantur, trademus.

Prima diſtinctio eſt, diſtingui realiter, & formaliter, & ratione; illa dicuntur diſtingui realiter, quæ ſaltem ſeparari à ſe inuicem poſſunt virtute diuina, & ſeorſim exiſtere, vel ſaltem quorum vnum eſt principium, aut cauſa alterius, quomodo diſtinguuntur Petrus & Paulus, paries & color, candor & dulcedo, homo & aptitudo ad ridendum. diſtingui formaliter dicimus ea, quæ præter omnem intellectus noſtri actionem, ſunt diuerſa, quod alij dicunt diſtingui à parte rei; vt quantitas & figura, actio & paſſio. tandem ratione diſtinguuntur quæ per ſolam mentis noſtræ actionem

differunt, id eſt, quæ à parte rei, & ex ſe non differunt, ſed ex eo ſolùm, quod aliter atque aliter à noſtro intellectu conſiderentur; vt Adamus, & Antichriſtus, quorum neuter eſt niſi per actionẽ noſtri intellectus, & homo in propoſitione, quatenus eſt ſubiectum, vel attributum.

Secunda, materialiter; & formaliter, vt verbi cauſa albũ materialiter, eſt corpus & res quæ ſignificatur eô nomine tanquam materia & ſubiectũ albedinis; album autem formaliter, eſt ipſum accidens, & albedo quæ eſt forma quædam accidentaria; vnde illa propoſitio vera erit materialiter, cuius prædicatum conuenit ſubiecto ratione materialis ſignificati tantùm, non formalis: qualis eſt hæc candidum eſt ſubſtãtia; formaliter autem cenſetur vera propoſitio, cuius prædicatum conuenit ſubiecto ratione formalis ſignificati, vt candidum eſt accidens.

Tertia, per ſe & per accidens; per ſe aliquid dicitur tale, quando prædicatum illi conuenit ratione ſui; per accidens autem, quando prædicatum illi ſolùm conuenit propter aliquid aliud adiunctum; vt medicus per ſe medetur, per accidens autem ędificat; quia non facit illud, vt medicus, ſed quatenus calet artem ædificandi.

Quarta, ſubiectiuè & obiectiuè; id dicitur eſſe ſubiectiuè in aliquo, quod eſt in illo tanquam in ſubiecto; vt calor in igne: id autem dicitur eſſe obiectiuè in aliquo, cui, ſcilicet, obiicitur; vt res omnes quæ cognoſcuntur, ſunt obiectiuè in facultate cognoſcente; ſic quidquid intelligitur eſt obiectiuè in intellectu, & quidquid videtur, eſt obiectiuè in viſu.

Quinta, primò intentionaliter & ſecundò in-

tentionaliter: primò intentionaliter aliquid dicitur eſſe tale, quando prædicatum illi aduenit, ſecundùm ſuum eſſe reale, quod habet à parte rei, ſine actione intellectus; vt animal conuenit homini: id autē dicitur ſecundò intentionaliter ſumi, quando prædicatum conuenit rei ſecundùm aliquam proprietatem rationis, quæ illi aduenit tantùm per actionem intellectus; quomodo homo dicitur ſecundò intentionaliter referri ad indiuidua, quatenus eſt ſpecies, vnde nomen primæ intentionis ſeu impoſitionis, eſt, quod imponitur ad ſignificandam rem vt eſt in ſe, vt homo; nomen verò ſecundæ intentionis ſeu impoſitionis, eſt illud quod impoſitum eſt ad ſignificandas aliquas affectiones, quæ conueniunt rebus quatenus, hoc, vel illo modo ab intellectu conſiderantur; vt eſſe genus eſſe ſpeciem.

Sexta, formaliter & virtualiter, ſeu virtute, ſeu eminenter; id eſt, formaliter tale, quod per ſe & reuera eſt tale in ſe; vt ignis eſt formaliter calidus, quia in ſe reuera habet calorem; id verò eſt tale virtualiter, quod reuera non eſt tale in ſe, ſed tantùm poteſt illud efficere; quomodo ſol & vinum dicùntur virtualiter calida, quia poſſunt producere calorem. Hinc Philoſophi, & Medici dicunt, in rebus alias eſſe qualitates formales, alias virtuales.

Septima, actu vel potentia; eſſe actu, eſt iā reuera eſſe tale; eſſe verò potentia, eſt nondum quidem reipſa eſſe tale, ſed poſſe eſſe; vt res quæ habet in ſe calorem dicitur actu calida, quæ verò nōdum habet, & habere poteſt, dicitur in potentia ad calorem.

Octaua, in actu ſignato vel in actu exercito, quæ

duo idem ſignificant ac implicitè & explicitè; illud eſt quaſi in confuſo, & generatim, vel tanquã in ſigno; hoc verò idem eſt ac clarè, in particulari, & reipſa; ſic confusè dicitur cognoſci totum, quando non cognoſcuntur clarè omnes eius partes; diſtinctè verò, quando clarè cognoſcuntur ſingulæ eius partes..

Nona, ſecundùm nos & ſecundùm naturam; illa ſecundùm nos ſunt priora,&notiora, quæ faciliùs incurrunt in noſtros ſenſus,& quæ faciliùs cognoſcimus; vt accidentia ſunt nobis notiora, quàm ſubſtantia; & effectus quàm cauſa: ſecundùm verò naturam prius & notius eſt, quod quia perfectius eſt ſuaptè natura meliùs cognoſci poteſt, quamuis propter imbecillitatem noſtri intellectus non ita facilè à nobis dignoſcatur.

Decima, vt quo, & vt quod: id dicimus eſſe tale vt quo, per quod reſpondemus ad quæſtionem, qua quæritur per quid aliquid agat, & patiatur; id verò dicitur tale vt quod, per quod reſpõdemus ad quæſtionem factam, quid ſit quod agit, vel patitur; ſic dicimus ignem calefacere vt quod, calorem autem calefacere vt quo; & totum compoſitum eſſe ſubiectum quod accidentium, quantitatem verò eſſe ſubiectum quo accidentium.

Vndecima, ſubiectũ inhæſionis, & ſubiectũ denominationis:illud eſt in quo recipiũtur & inhærẽt accidentia;vt totum reſpectu accidentiũ corporeorum, & anima rationalis ſpiritalium;Hoc verò eſt totum compoſitum ex materia & forma cui tribuitur tota actio & paſſio; ſic homo dicitur quantus & intelligens, licet quantitas in ſolo corpore, & intellectus in ſola anima ſubiectiuè recipiatur.

Duo-

Duodecima, Metaphyſicè & moraliter; ſumi Metaphyſicè, eſt ſumi in toto rigore, quod alij dicunt Mathematicè; moraliter, quod non ita ſtrictè, nec in toto rigore, ſed ſecundùm hominum exiſtimationem.

Decima-tertia, ſimpliciter, & ſecundùm quid; ſimpliciter, idem eſt atque ex toto; & ſecundùm quid, idem ac ex parte; vt Æthiops eſt albus, non ſimpliciter, & penitùs, ſed ſecundùm quid, id eſt, aliqua ex parte; ſimpliciter autem eſt niger.

Decima-quarta, adæquatè & inadæquatè, id eſt, adæquatè tale, quod alteri comparatum penitùs illi æquatur, ſecundùm rationem penès quam fit inter illa comparatio; ſic æquantur principia concluſioni, ſic æquatur definitum definitioni eſſentiali, diuiſum diuiſioni perfectæ; Inadæquatè autem id dicitur eſſe tale, quod alteri comparatum ipſum nō æquat ſecundùm rationem, penes quam inter illa fit comparatio; vt linea pedalis, & linea bipedalis; calor vt tria & calor vt ſex, diuiſio imperfecta & diuiſum.

AMBVLACRVM II.

Moralis Philoſophiæ nomina, finis, cauſa efficiens.

EXCVLTA, quâ potuimus curâ & diligentiâ, prima area noſtri hortuli, ad ſecundam greſſum deflectimus, ducto priùs ambulacro, quod nos rectà ad illam deducat: cùm enim ſtatuerimus in ea deponere omnia Philoſophiæ

moralis ſemina, oportet imprimis vim, ſignificationem, & vſum nominum quibus appellari ſolet cognoſcere. Interdum enim moralis diſciplina dicitur abſolutè Philoſophia, vt quando apud Ciceronem Philoſophia deſcribitur dux vitæ, morum magiſtra, virtutum indagatrix, vitiorum expultrix; illic enim Philoſophiæ nomine intelligenda videtur Ethica, cui maximè conueniunt illæ proprietates, quæ à Cicerone deſcribuntur. Secundò, appellatur politica, & ſcientia ciuilis, quia omnia præcepta eò dirigit, vt homo in ſocietate ciuili rectiſſimè viuat, & florens, fœlixque ſit reſp. & tota ciuitas, cuius membra ſunt ſinguli homines, & ex his conſtitutæ familiæ. Tertiò, dicitur cœleſtis ſapientia apud Horatium epiſtolâ tertiâ.

———————— *quòd ſi*
Frigida curarum fomenta relinquere poſſes,
Quò te cœleſtis ſapientia duceret, ires.

Quartò, dicitur Ethica, ἀπὸ τοῦ ἔθους, id eſt, à more & conſuetudine, vt obſeruat ipſe Ariſtoteles, cap. 1. lib. 2. Ethic. vndé apud Latinos, nominatur moralis: hoc autem nomen Ethicæ tribuitur, quòd tota ſit occupata in moribus hominum rectè componendis & informandis. Itaque moralis Philoſophia, à more dicitur, quemadmodum mos à mora, authore eodem Ariſtotele cap. 6. lib. 1. magnorum moralium: mos enim momento temporis abſolui & comparari non poteſt, ſed requirit aliquam temporis moram quandoquidem conſuetudine aliquâ comparatur mos; vel quia vitia & virtutes de quibus agitur in hac ſcientia, morales vocantur, nec ſunt nobis à natura inſitæ, ſed conſuetudine, labore, & humanâ induſtriâ comparantur.

Accipitur autem nomen Ethicæ duobus modis. Primo quidem, ita vt ſignificet genus, quod ſub ſe complectitur tres vulgatas ſpecies, perſonalem, ſeu monaſticam, œconomicam, & politicam: quo ſenſu Ethica complectitur omnes ſermones morales. Secundo, ita vt Ethica ſignificet ſolam perſonalem, ſiue monaſticam, ſaltem quatenus perſonalis Ethica continet generalia præcepta de moribus, quo ſenſu vſurpatur ab Ariſtotele in 1. lib. Ethicor. quos ſcripſit ad Nicomachum filium.

Ethicæ finis triplex eſt, proximus, remotus, & vltimus. Proximus, eſt notitia præceptorum, & concluſionum, quæ de virtute, de voluntate benè regenda, & rationi congruenter viuendo traduntur: etenim in ſcientia practica, cognitio rationis efficiendi obiectum eſt finis proximus: Ethica verò, eſt ſcientia practica, cuius obiectum eſt actio humana, & actio voluntatis, quatenus eſt honeſta: itaque finis proximus Ethicæ eſt cognoſcere rationem honeſtè viuendi. Remotus autem finis Ethicæ, eſt exercere actiones honeſtas, quia in ſcientia practica finis remotus eſt exequi præcepta, quæ traduntur: vnde Ariſtoteles lib. 1. Ethicor. cap. 9. ait Ethicæ finem ſufficientem, non eſſe virtutem cognoſcere, ſed illam obtinere, & illâ vti. Vltimus autem finis Ethicæ, eſt beatitudo, præcipuè practica, quia, ſcilicet, ipſa actio virtutis, vel eſt beatitudo, vel ſaltem refertur ad beatitudinem; quia verò virtus, & actio eius maximè perficiunt, & iuuant naturam, ac voluntatem humanam, quidam volunt Ethicæ finem eſſe naturam humanam vitio primi parentis læſam, & debilitatam perficere, & ſanare, ſaltē reſpectu perfectionū naturalium;

Cæterùm prima cauſa efficiẽs Ethicæ eſt Deus, qui Ethicam, cum aliis ſcientiis primo parenti largitus eſt. Quæritur autem author & reparator Ethices: apud Hebræos, Græcos, imò & apud Barbaros fuêre præcepta ſaltem generalia honeſtè viuendi; quia tamen propter flagitia hominum, quaſi ſepulta iacebat Ethice, illius reparatores creduntur præcipuè Socrates, Plato, & Ariſtoteles; vt colligitur ex capite 6. lib. 1. Metaph. & de Socrate quidem ſcribit Tullius, illum è cœlo euocaſſe Philoſophiam moralem. Plato verò de virtutis natura optimè diſſeruit, meliùs tamen Ariſtoteles declarauit naturam, & proprietates virtutum, quẽ etiam Albertus magnus arbitratur Ariſtotelis nomen propterea ſortitum, quòd τὸ ἄριστον τέλος, id eſt, optimum finem, ſiue quis optimus eſſet finis aperuerit, vel ſaltem quæ de optimo fine, & beatitudine præcepta traduntur, in ordinem, & artem redegerit. Vnde præcipuus author Ethicæ habetur Ariſtoteles.

AREA SECVNDA.

Hæc area moralis appellatur, quia in eam mittimus ſemina virtutum, quibus vtriuſque appetitus perfectio continetur: deinde quia tradit præcepta circa mores, ipſóſque mores informat.

INTERVALLVM I.

Omnia bonum appetunt. Duplex intellectus, item & appetitus.

DOcet Ariſtoteles lib. 1. Ethic. cap. 1. omnes humanas actiones, quæ, ſcilicet, homini, vt

homo eſt, conueniunt, ad bonum aliquod referri, ſeu bonum aliquod appetere, ſiue illud ſit reuerà bonum, ſiue apparens tantùm; quare, inquit, probè veteres definierunt ipſum bonum eſſe ad quod vnaquæque res refertur: ratio huius generalis propoſitionis eſt, quia bonum idem eſt ac perfectum, & ideò vnaquæque res eſt bona, quatenus eſt ens, & perfecta; cùm igitur appetitus vnicuique rei creatæ datus ſit, vt appetat ſuam totalem, & integram perfectionem, quam initio productionis ſuæ non habet, id cenſetur vniuſcuiuſque particulare bonum, quod ab vnaquaque re particulari appetitur: quemadmodum generale ac ſummum bonum illud eſt, quod omnia appetunt, tanquam ſuam ſupremam perfectionem. Ariſtoteles illam probat aliâ propoſitione vniuerſali, quæ ſic habet: omnis ars, omnis doctrina, atque actus, itémque electio bonum quoddam appetunt. quam, vt intelligas, obſeruabis omnium operationum humanarum duo eſſe principia, intellectum & appetitum: eſt autem intellectus duplex, ſpeculatiuus & practicus, ſeu actiuus: appetitus item duplex, electiuus, & exequutiuus; intellectus actiuus continet artem omnem, non ſolùm propriè dictam, ſed omnem ſcientiam actiuam: ſpeculatiuus verò continet ſub ſe ſcientiam & doctrinam, quæ eſt via ad ſcientiam. ſub appetitu electiuo ponitur electio; ſub appetitu exequutiuo ponitur actus: ex quibus patet Ariſtotelem aſſumpſiſſe præcipuas hominis actiones, vt probaret omnia bonum appetere, & inde concluderet, in rebus humanis eſſe aliquem finem; quoniam finis & bonum conuertuntur. Porrò, vt liquidiùs conſtet omnia bonum appete-

re; notandum eſt, appetitum quadrifariam ſumi poſſe; eſt enim appetitus naturalis, quo inanimata dicuntur appetere loca ſua naturalia; vt ignis ſurſum, lapis deorſum, tanquam quoddam bonum ſibi proprium; eſt & vegetatiuus, qualis viſitur in plantis, quo inclinantur ad ea, quæ ſuæ naturæ ſunt conſentanea. Tertius dicitur animalis, ſiue ſenſitiuus, quia coniunctus eſt cum ſenſu & imaginatione, ideóque ſenſationem obiecti præſupponit, qualis cernitur in brutis. Quartus appellatur intellectiuus ſiue rationalis, qui competit, tantùm ratione vtentibus, & agentibus liberis, putà hominibus, dicitúrque voluntas. Vnde conſequens eſt omnia quæ ſunt, ſiue animata, ſiue inanimata, appetere aliquod bonum, & ſicut inter appetitus ſunt gradus quidam; ſic inter bona, & fines: nam illa appetuntur, & ad illa dirigitur appetitus.

AREOLA FOELIX.

Beatitudo in quo ſita ſit, nomina, proprietates, cauſæ, quale bonum.

Hìc loquemur ſolùm cum Ariſtotele de huius vitæ beatitudine, quæ in actione virtutis moralis poſita eſt, & cum ipſo homine deſinit; non autem de beatitudine animæ ſeparatæ, de qua aliàs ex profeſſo diſputationem inſtituemus. Cùm igitur orta eſſet inter veteres Philoſophos grauis & ardua de fœlicitate controuerſia, voluit Ariſtoteles illam dirimere, palámque profiteri quid de ea ſentiret: quare lib. 1. Ethic. & lib. 10. ſtatuit fœlicitatem in præſtantiſſima hominis operatione eſſe ſitam. Bonum enim eſt triplex, animi; vt actio honeſta, & virtus: corporis; vt robur, & pulchritudo: fortu-

næ; vt opes: atqui beatitudo eſt ſummum bonum; non ergo debet collocari in corporis aut fortunæ bonis, cùm animus ſit illis excellentior, ſed in bonis animi perfectè operantis, id eſt, virtute vtentis. Deinde, vt ſcribit Ariſtoteles lib. 1. Ethic. cap. 5. tria ſunt vitæ genera, quæ maximè excellunt. Primum dicitur ἀπολαυστικὸν, quod totum eſt in capiendis voluptatibus; vt in vltimo fine, & ſummo bono, quare eos qui hoc vitæ genus ſectantur, appellat Ariſtoteles βοσκημάτων τοὺς, ſtultiſſimos, ineptiſſimos, & pecudum ſimillimos, vt qui pecudum vitam cæteris anteponant, eſt enim hæc vita ἐμπαθὴς, id eſt, plena perturbatione. Secundum dicitur πολιτικὸν, id eſt, ciuile, eorum, ſcilicet, hominum, qui non ſunt planè otioſi & delicati; ſicut ſuperiores, ſed occupati in agendo, & capeſcendis honoribus, éſtque hæc vita μετριοπαθὴς, id eſt, mediocriter obnoxia perturbationibus. Tertium denique θεωρητικὸν, id eſt, contemplatiuum, & penitùs à corpore liberum. Dicitur autem hæc vita ἀπαθὴς, id eſt, vacua omnibus perturbationibus, conſtituítque beatitudinem in præſtantiſſima hominis actione, quæ eſt contemplatio.

Sunt autem duo nominum genera, quibus fœlicitas compellatur, alia rerum in quibus collocatur fœlicitas; vt virtus, honos, voluptas: alia ipſius beatitatis; vt fœlicitas, ſummum bonum, beatitudo, ſumma perfectio, finis vltimus: dicitur fœlicitas, & beatitudo, quia beat, & explet cupiditatem; ſummum bonum, quia nihil eo melius inter humana; vltimus finis, quia eò tendunt ac referuntur omnia omnium vota.

Ariſtoteles explicans ex propria ſententia natu-

tam ſummi boni, ſiue beatitudinis, c. 7. l. 1. Ethic. recenſet tres illius proprietates, quarum prima eſt, vt ſit vltimus finis, & ſummum bonum, licet enim variarum artium, & actionum varij ſint fines, neceſſe tamen eſt omnes illas ad vnum aliquem finem vltimum referri, in quo poſitum eſt ſummum bonum. Cùm autem dicitur beatitudo vltimus finis actionum humanarum, intelligitur de bonis, non de vitioſis; quia vitioſæ actiones potiùs conducunt ad amittẽdam beatitudinem, quàm ad eandem comparandam. quamuis etiam aliquo modo nulla ſit actio tam praua, quæ ad aliquod bonum non referatur, licet per accidens. Secunda proprietas eſt, vt beatitudo ſit perfectiſſima, & omnibus ſuis numeris abſoluta; cùm enim id quod propter ſe expetitur ſemper ſit perfectius, eò quod expetitur propter aliud, ſequitur id quod propter ſe tantùm expetitur perfectiſſimum eſſe, huiuſmodi autẽ eſt beatitudo. Tertia, vt ſeipſa contenta ſit, quia beatitudo eſt perfectiſſima: at rei perfectiſſimæ nihil deeſſe poteſt, cui autem nihil deeſt ſeipſo contentum eſt. Deinde ſubiungit beatitudinem ita ſeipsâ eſſe contentam, vt detractis cæteris adhuc ipſa expetatur: ait tamen acceſſione alicuius boni, quantumuis exigui fieri quodammodo magis expetibilem, non tamen eſſentialiter perfectiorem. ex quibus fœlicitatis proprietatibus hanc deſcriptionem colligit. Fœlicitas, eſt vltimus finis, perfectiſſimus, ac per ſe ſufficiens. Verùm vt tradat accuratiorem fœlicitatis definitionem, ex genere & differentia conſtantem, docet eodem cap. in quo conſiſtat ipſa fœlicitas, nimirum, in hominis actione, quia, inquit, eorum omnium, quæ propriam

actionem habent, fœlicitas conſiſtit in actione: ſed proprium hominis officium eſt agere, cùm enim ſingulis rebus, ſingula munera & officia natura præſcripſerit, repugnat illam ſolùm hominem omni opere ſolutum, & ſuo carentem munere reliquiſſe: igitur fœlicitas hominis conſiſtit in eius actione. Adde quod, vltima rei perfectio, eſt actio (prima enim perfectio eſt forma quam ſequitur actio ſeu operatio, tanquam vltima perfectio, vt docet Ariſtoteles lib. 8. Phyſic. cap. 4. & lib. 2. de anima cap. 1.) Sed ſummum bonum, ſeu vltimus finis conſiſtit in vltima rei perfectione; igitur: quia verò variæ ſunt hominis actiones, non eſt ponenda fœlicitas in quibuſcumque, ſed in his dumtaxat, quæ ſunt illi propriæ, & quibus à brutis & cæteris rebus ſeparatur, nempe, in actione animæ rationalis: cúmque duæ ſint illius facultates, vna rationalis per ſe, nempe, intellectus: altera per obſequium tantùm, nempe, voluntas, & appetitus: ſic duplex exiſtit beatitudo, vna contemplatiua, in actionibus intellectus conſiſtens; altera actiua, in actionibus voluntatis. Deinde colligit duplicem differentiam fœlicitatis, quarum vna eſt, vt ſit actio virtute perfecta, in hoc enim ſolùm differt actio hominis probi, ab actione hominis, ſcilicet, perfectione, non autem ſpecie, quod, nimirum, hominis ſit vti ſolùm ratione, probi verò hominis, vti ratione perfecta: altera eſt in vita vndique perfecta, id eſt, in tota vita, quemadmodum enim animantes, inquit diuus Thom. quia ſenſu percipiunt, bonum eſſe nunc eſſe, & viuere, appetunt etiam eſſe nunc, & viuere: ſic homo, quia vi rationis intelligit, bonum eſſe, ſemper eſſe, & viuere: ſic

ſuaptè natura, ſemper cupit eſſe, & viuere: cúmque oporteat beatitudinem explere naturale deſiderium, ſequitur beatitudinem debere eſſe tota vita: imò ſi vera eſt beatitudo, æterna eſſe debet. Adde quod ſicut μία χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ, οὐδὲ μία ἡμέρα, vna hirundo non facit ver, nec vnus dies: ſic nec dies vnus, neque exiguum tempus efficit fœlicem ac beatum; ſed neque vna animi actio ſecundùm virtutem perfectam, certiſſimum eſt fœlicitatis ſignum, niſi protrahatur ad longum tempus iſta actio. Ex quibus omnibus colligi poteſt hæc fœlicitatis definitio: fœlicitas eſt actio animi rationalis ſecundùm virtutem perfectam, in vita perfecta. In qua definitione, virtus non debet ſumi ſecundùm habitum; cùm is qui habet habitum virtutis, poſſit aliquando malè operari, ſi, nimirum, non operetur ſecundùm habitum virtutis; ſed debet ſumi ſecundùm actum, quomodo neceſſariò rectè operabitur: cùm autem addit voluptatem coniunctam eſſe cum fœlicitate, non intelligit belluinam illam, & in ſenſu poſitam; ſed veram quæ in ſolo animo reperitur, quæque ſemper cum virtute coniuncta eſt: vnde concludit cap. 8. lib. 1. Ethic. fœlicitatem eſſe quoddam optimum, pulcherrimum, & iucundiſſimum.

Cauſa efficiens beatitudinis ſecundùm Ariſtotelē c. 9. lib. 1. Ethic. eſt, partim Deus, partim nos ipſi; Deus quidem, quia eius auxilio, & fauore omnia conſequimur, atque adeò fœlicitatem, quæ eſt ſummum bonum; nós verò neceſſariò ſumus cauſa, quoniam eſt actio noſtra, quæ à nobis fit; vnde colligit fortunam non poſſe dici cauſam eiuſdem beatitudinis; quia quæ à fortuna fiunt ſunt vana &

incerta; tùm quia homines fruſtra laborarent in acquirenda beatitudine. Deinde docet ſubiectum beatitudinis, eſſe ſolum hominem moribus, & ætate perfectum: nam cùm bruta animantia ratione careant, non poſſunt eſſe beata; nec item pueri, cùm propter ætatem minùs idonei ſint, vt virtuti, & rationi congruenter viuant, idque ex mente Ariſtotelis, qui fœlicitatem in præſtantiſſima hominis actione conſtituit.

Dubium eſt apud Ariſtotelem, num beatitudo ſit bonum laudabile, an verò bonum honorabile; vbi aduertendum eſt bonum morale in communi trifariam diuidi. Primò comparatione ſubiecti in quo eſt, vel ad quod refertur; ſicque diſtribuitur in bonum animi, corporis, & fortunæ. Secundò comparatione obiecti, ſeu finis, in honeſtum, vtile, & iucundum. Tertiò comparatione proprietatum quæ bonum conſequuntur, in laudabile, & honorabile. Cùm igitur oſtendiſſet Ariſtoteles beatitudinem eſſe bonum animi dumtaxat, & præterea honeſtum ſolum, non vtile, aut iucundum, cap. 8. lib. 1. Ethic. oſtendit eſſe bonum honorabile, non laudabile tantùm. Rurſus obſeruandum eſt, tria eſſe bonorum genera; alia enim ſunt diuina, quibus ob præſtantiam debetur honor; quædam humana, & natura ſua ſemper bona; vt virtutes, quibus laus tantùm debetur; quædam poſtremò nec bona, nec mala natura ſua, ſed tantùm vſu, vel bona, vel mala fiunt; vt inſtrumenta, diuitiæ, & cætera, quæ nec honore, nec laude ſunt digna: beatitudinem ergo non eſſe ex poſtremo genere manifeſtum eſſe ait Ariſtoteles; non eſſe autem in ſecundo probat, quia bonum

laudabile dicitur quod aliqua bona qualitate præditum eſt, & ad aliud refertur, vt eſſe iuſtum, vel eſſe temperantem; at beatitudo non refertur aliò. Deinde quia optimæ rei debetur id quod eſt melius; at beatitudo eſt res optima, & honor melior eſt laude; igitur honor debetur beatitudini, &, non laus tantùm. Præterea beatitudo eſt bonum præcipuum, & terminus omnium bonorum; igitur digna eſt honore. Vnde laudat Ariſtoteles reſponſum quoddam Eudoxi, qui cùm audiret ſibi obiici voluptatem non eſſe beatitudinem, proptereà quod à nullo ſapiente laudaretur, acutè reſpondit; ideò potiùs voluptatem eſſe beatitudinem, quia præſtantiſſima; vt Deus, & fœlicitas, non tàm ſunt laudanda, quàm honoranda; itáque concludit beatitudini non deberi tantùm laudem, ſed aliquid maius, nempe, honorem; ſícque illam eſſe in bonis honorabilibus, non in laudandis. Quæ vt facilius intelligantur, notandum eſt totam quæſtionem poſitam eſſe in proprietate linguæ Græcæ: nam Græci, vt conſtat ex 1. Ethic. cap. 12. & ex cap. 1. libri 2. ad Eudemum, diſtinguunt tria laudum genera. Primùm dicitur μακαρισμὸν καὶ εὐδαιμονισμὸν, id eſt, rerum diuinarum prædicatio, quod quidem ſoli Deo, hominibúſque diuinis ſeu beatis tribuunt. Secundum ἐγκώμιον, id eſt, commendatio rectè factis. Tertium denique ἔπαινον, id eſt, laus habitibus bonis, qui aliò referuntur. Ariſtoteles ergo hanc loquendi conſuetudinem ſequutus dixit ἔπαινον non deberi rebus diuinis, & beatitudini, ſed μακαρισμὸν vel ἐγκώμιον.

INTERVALLVM II.

Quid actio humana, quotuplex, quæ eius principia, & cauſæ.

ACTIO humana ea dicitur, quæ liberè fit, & ex electione; duplex eſt: actio humana, elicita, quæ propriè & immediatè fit à voluntate, & in ipſa manet; vt volitio, & nolitio; & imperata, quæ à voluntate quidem imperatur, ſed fit ab alia facultate, puta motrice; vt ambulatio.

Omnis actio humana vel bona eſt, vel mala, pro ratione obiecti, id eſt rei, circa quam verſatur: nam bonitas, & malitia actionis humanæ ſumitur ab obiecto, ſiue à relatione ad ipſum, quatenus cum recta ratione conuenit, vel ab ea, diſſidet.

Principia, & cauſæ efficientes actionis humanæ, ſunt libera voluntas, & intellectus; nihil enim eſt volitũ, quod non fuerit primò cognitum. Finis, & obiectum idem ſunt, nempe, bonum apparens, vel verum; ſubiectum eſt facultas agens, quæ habitibus acquiſitis, qui ſunt virtutes, aut vitia, benè, vel malè afficitur ad agendum. Vnde virtutes, & vitia ſunt etiam principia actionum humanarum.

Cùm autem actionibus humanis, ex eo, quod ſunt voluntariæ, conueniat, vt ſint laude, vel vituperio dignæ, & contrà, ex eo quod inuitè fiant, miſericordia, & venia; idcirco Ariſtoteles lib. 3. Ethic. diſſerit de principiis actionum humanarum, ſcilicet, de voluntario, inuoluntario, electione, deliberatione, ſeu conſilio, & voluntate.

PVLVINVS HVMANVS.

De principiis actionum humanarum.

Ariſtoteles c. 1. l. 3. Ethicor. diſtinguit has tres voces, ἑκούσιον, ἀκούσιον, καὶ οὐχ ἑκούσιον, id eſt, voluntarium, ſeu ſponte, inuoluntatium, ſeu inuitè, & nō voluntarium, ſeu non ſponte; aítque voluntarium, eſſe id quod fit ex intrinſeco principio, & propenſione naturæ: quomodo ignis dicitur ſurſum moueri ſponte, & aqua deorſum, licet ad vnum ſint determinata. Sic bruta ex propenſione naturæ, non vno solùm, ſed pluribus modis agere poſſunt; ita tamen, vt nec contrariis modis agere poſſint, nec ab agendo ſe cohibere; ſic homines voluntariè agunt, diuerſo tamen modo ab illis, quia, cùm percipiant, non tantùm præſentia, verumetiam præterita, & futura, omnes item circumſtantias, variè poſſunt de rebus iudicare, & modò probare vnum contrarium, modò alterum. Inuoluntarium dicitur, quod fit vel per violentiā, vel per ignorantiam. Inuoluntarium per violentiam dicitur, quando principium eſt externum, & id, quod agit, aut patitur, nullum adiumentum adfert, vt cùm lapis, aliquo extrinſecus impellente, fertur ſurſum. Inuoluntarium autem per ignorantiam dicitur, quando ignorantur circumſtantiæ, ita támen, vt qui læſit, ſtatim atque cognouit, peccati pœniteat, quòd ſi facti cogniti non pœniteat, ſed potiùs lætetur; vt, ſi quis neſcius in ſylua hominem interfecerit, quem vbi cognoſcit fuiſſe ſuum inimicum, gaudet id factum eſſe, id non eſt ἀκούσιον, id eſt, inuoluntarium, ſed οὐχ ἑκούσιον, id eſt, non voluntarium; ſic actiones, quæ vi fiunt, præcedente tamen deliberatione, & conſenſu; vt, cùm quis mercator orta

tempeſtate proiicit merces in mare, non dicuntur inuoluntariæ, nec voluntariæ ſimpliciter, ſed non voluntariæ, vel mixtæ, vt docet Ariſtoteles, ſunt enim voluntariæ, & ſponte fiunt habita ratione loci, & temporis; inuoluntariæ autem ſimpliciter, quia nullus eſt qui ſuas merces in mare abiicere velit. Probat tamen eſſe magis voluntarias, quia cùm geruntur fiunt deliberatione præcedente, & iudicio, & ab interno principio proficiſcuntur. Secundò notandum eſt, voluntarium diſtingui à libero, tanquam vniuerſale à particulari; illud enim tantùm ſignificat, quod fit propenſione naturali, & procedit ab interno principio. Vnde Ariſtoteles admittit in beſtiis, pueris, & amentibus voluntarium, in quibus tamen negat liberum; item primi motus, qui deliberationem anteuertunt, dicuntur voluntarij, quoniam procedunt ab interno principio, & tamen non ſunt liberi, vt omnes concedunt, nec ſunt in noſtra poteſtate, ſimiliter actus, quo Deus ſeipſum amat, aut quo beatus amat ipſum Deum, eſt voluntarius, non tamen liber; quia non eſt ſitum in poteſtate beati eum actum amoris non exercere, aut exercere contrarium; at liberum dicitur de eo quod eſt indefinitum ad oppoſita, ſiue contradictoriè; vt, ad agendum, vel non agendum; ſiue contrariè, vt ad hoc agendum, vel ad agendum illius contrarium, quod in ſolo homine locum habet, non in brutis, aut aliis rebus naturalibus. Tertiò aduertendum eſt, in homine voluntarium magis impediri per ignorantiam, quàm per vim; quia per ignorantiam ratio, quæ in homine eſt radix voluntarij, impeditur; at per vim impeditur tantùm facultas externa, in qua voluntarium

ſolum eſt participatione quadam, & velut in ramis: deinde quia ignorantia aufert libertatem interioris actus, qua ſublata, exterior actus liber eſſe nequit; vis autem non aufert propriè libertatem, quia tantùm impedit, ne libertas, quæ intus in animo reſidet, foras prodeat, ad externas actiones exercendas. Quartò ſciendum eſt ex Diuo Thom. 1.2.quæſt.6. articul.8. triplicem eſſe ignorantiam, antecedentem, conſequentem, & concomitantem; antecedens ignorantia vocatur, quando aliquis ignorat quæ tenetur ſcire ad rectè viuendum, vt ſi quis ignoret, non eſſe furandum, mœchandum, & cætera, quæ ſunt iuris naturalis. Vnde à Iuriſperitis vocatur ignorantia iuris, ad diſtinctionem illius, quam appellant facti, cùm aiunt, ignorantiam facti excuſare, non autem ignorantiam iuris: diſtinguitur etiam ignorantia facti ab ignorantia iuris; quòd illa ſit ſingularium circumſtantiarum, quibus vnumquodque factum circumſcribitur, quas non tenemur ſcire propter multitudinem, & varios modos, quibus mutantur, niſi fortè directè ſubiiciantur communibus principiis; quia ſicut tenemur vniuersè ſcire non eſſe furandum, ita etiam non eſſe hîc, & nunc furandum. Ignorantia verò iuris ſit vniuerſorum principiorum, quæ meritò hoc iuris nomine appellatur; quia ius dicitur quod lege ſancitum eſt, at leges non feruntur niſi vniuersè, & generaliter, vt docet Ariſtoteles 2. Polit. cap. 6. Ignorantia conſequens illa eſt, quæ conſequitur actionem voluntatis; & eſt duplex, vna imperata, altera craſſa; prior dicitur effectus voluntatis iubentis rationi, ne diſcat aliquid, quod ſcire debet ad rectè viuendum, vt, ſcilicet,

liberius

liberius peccet, alióque nomine vocatur, ignorantia affectata, vel optata, de qua loquitur Dauid Pſalmo 35. noluit intelligere vt benè ageret, quæ ignorantia, numquam excuſat, ſed potiùs auget peccatum. Poſterior appellatur craſſa à Theologis, & à Iuriſperitis ſupina, quæ tribuitur voluntati propter ſolam negligentiam, quando, ſcilicet, homo ignorat id quod tenetur ſcire, cùm tamen poſſit, qualis eſt in Nauclero, cùm ipſo dormiente, eo tempore quo vigilare debuit, fit naufragium; qualis etiam eſt in eo, qui ignorat ea, quæ ſpectant ad proprium ſtatum; atque iſta ignorantia non excuſat à peccato, quamuis ipſum diminuat. Concomitans denique dicitur, quæ nec eſt cauſa actionis voluntatis, nec eius effectus, ſed tantùm caſu cum ea coniungitur, qualis eſt in eo, qui venando hominem latentem interficit, cùm putaret ſe interficere feram. Antecedens ergo ignorantia non facit inuoluntarium, nec excuſat à culpa, ſimiliter nec vtraque conſequens: concomitans verò culpa vacat, ſi cognito facto ſequatur dolor, & pœnitentia; ſi autem lætitia, & voluptas, non facit inuoluntarium, nec culpa vacat; cuius ratio eſt, quia non delectamur, niſi iis, quæ ſponte facimus, nec dolemus, niſi rebus, quas inuiti facimus: itaque, qui poſtquam errauit lætatur, cenſetur voluntariè erraſſe, qui verò dolet, contrà.

Secundum principium humanarum actionum eſt electio, cuius naturam inueſtigans Ariſtoteles cap. 2. lib. 3. Ethicor. docet, genus illius non eſſe cupiditatem, ſeu deſiderium, quia nobis communis eſt cum brutis, & pueris, electio non item: deinde, quia incontinentes agunt ex cupiditate, non

tamen ex electione. 3. quia cupiditas potiùs impedit electionem: denique, quia cupiditas verſatur circa iucundum, electio autem circa honeſtum, & turpe: deinde oſtendit, non eſſe iram, quia cùm motus iræ ſint valde repentini, minùs videntur fieri ex deliberatione, & lectione. Docet 3. non eſſe voluntatem, id eſt, volitionem, licet cum ea ſimilitudinem habeat, cùm vtraque ſit actio animi intelligentis. Primùm enim electio eſt eorum tantùm, quæ fieri poſſunt, voluntas autem eorum etiam quæ fieri nequeunt, vt ſi homo appetat immortalitatem: hoc tamen intelligi debet, de voluntate imperfecta, quæ velleitas dici ſolet. 2. voluntas eſt eorum etiam, quæ ab aliis fiunt: electio verò eorum tantùm, quæ à nobis facienda ſunt: tandem voluntas potiſſimùm eſt finis, electio autem mediorum, quæ ad finem referuntur. 4. probat non eſſe opinionem, quia opinio verſatur in rebus omnibus, dicitúrq; vera, aut falſa: electio autē tantùm verſatur in iis, quæ ſunt in noſtra poteſtate, dicitúrque bona, aut mala: de voluntario autem conſtat latius quidem patere ipſa electione, quæ licet proinde voluntaria ſit, non tamen eſt omnino idem cum voluntario: nihilominus ex his infert Ariſtoteles electionis genus eſſe ἑκούσιον, id eſt, voluntarium; differentiam verò προβεβουλευμένον, id eſt, præconſultatum: vnde colligitur hæc definitio; electio eſt voluntarium præconſultatū, id eſt, quod antegreſſa deliberatione melius apparet. quod autem electio requirat præcedentem deliberationem, colligit ex nominis notatione; dicitur enim προαιρετόν, id eſt, eligibile, quaſi πρὸ ἑτέρων αἱρετόν, id eſt, præ cæteris eligibile.

Tertium principium actionum humanarum dicitur conſultatio, ſeu deliberatio, quæ duobus modis fieri poteſt, vel ab vno tantùm, vt cùm vnuſquiſque conſultat, & deliberat de iis, quæ ſunt in ſua poteſtate, & ad illum ſpectant; vel à pluribus, vt in rebus magni ponderis, ſolemus aduocare in conſilium viros prudẽtes, gnaros, & familiares quibuſcum maturiùs deliberemus, quid faciendum, quidve fugiendũ. Non eſt autem conſultatio de iis quæ inſipiens quærit: nec de rebus æternis, vt de mundo, corporibus cœleſtibus; nec de rebus quæ neceſſariò, aut natura, aut caſu fiunt; nec denique de iis, quæ humana quidẽ ſunt, ſed ad nos nihil ſpectant; eſt igitur conſultatio ſolùm de iis, quæ ſunt in noſtra poteſtate, nec tamen de omnibus: non enim conſultamus, quo pacto ſint effingendæ litteræ, nec de finibus, ſed de mediis neceſſariis ad conſequendum finem: imprimis ergo, in omni conſultatione præſupponendus eſt aliquis finis: deinde duo inquirẽda ſunt, nempe, media, per quæ ipſum finem aſſequi poſſimus, & modus, quó ipſis mediis vti debeamus: præterea in conſultatione, illud eſt vltimum, quod eſt primum in executione: & contrà; incipimus enim conſultationem à fine, qui tamen eſt vltimus in executione, & peruenimus vſque ad medium, quod primò exequi debemus. Electio, & conſultatio verſantur in eadem materia; ſed conſultatio præcedit, quia quando conſultamus, nondum ſtatutum eſt, ac definitum quod medium debeamus tenere, vel quo modo eo vti: quando verò eligimus, tunc ſtatutum eſt. Ex quibus colligi poteſt hæc definitio electionis, vt ſit appetitio earum rerum, quæ ſunt in no-

ſtra poteſtate, cùm antegreſſa eſt deliberatio. Poteſt autem & deliberatio, ſeu conſultatio ſic deſcribi; inquiſitio rationis, in iis quæ à nobis fiunt, & ad finem referuntur. Vel inquiſitio rationis, qua de rebus agendis, dubiis, atque incertis aliquid inuenitur certum, & determinatum.

Quartum humanarum actionum principium eſt voluntas, aut volitio, quo nomine Ariſtoteles non intelligit illam animæ rationalis facultatem; ſed primam eiuſdem actionem, quam Græci *βούλησιν*, Latini voluntatem, aut volitionem appellant; vt enim primorum principiorum cognitio dicitur intelligentia: ſic prima voluntatis actio voluntas nuncupatur. Statuit autem Philoſophus obiectum voluntatis abſolutè conſideratæ eſſe bonum: obiectum verò voluntatis huius vel illius hominis eſſe bonum apparens, nam probis viris id videtur bonum, quod reuera tale eſt: improbis autem etiam mala videntur bona. Tandem concludit cap. 5. lib. 3. Ethic. actiones humanas ita pendere ab illis quatuor principiis, vt ſiue ſint bonæ, ſiue malæ, dicantur voluntariæ: docet enim in hominis voluntate ſitum eſſe, vt aliquis bonus, vel malus fiat, ratio eſt, quia illud eſt in noſtra poteſtate, cuius principia ſunt in noſtra poteſtate; ſed principia omnium actionum humanarum, ſcilicet, electio, deliberatio, & cætera ſunt in noſtra poteſtate, vt conſtat ex præcedentibus; igitur & actiones humanæ. Denique reſpondet rationibus, quibus veteres docebant, vitia non eſſe in noſtra poteſtate. Primam petebant ex naturali conſtitutione corporis: conſtat enim flegmaticos eſſe tardos, quia abundant humore illo viſcoſo, ideóque vitia illa eſſe

naturalia, non voluntaria : cui reſpondet Ariſtoteles, id prouenire ex mala conſuetudine, & ſimilibus actionibus ſæpe repetitis, quæ ſunt in noſtra poteſtate. Secunda eſt, ſi vitia eſſent voluntaria poſſemus ab illis deſiſtere quando volumus, hoc autem repugnat experientiæ, quia multi ſunt quibus ſua vitia diſplicent, à quibus tamen abſtinere non poſſunt. Reſpondet Ariſtoteles abſurdum eſſe eum qui vitiosè viuit nolle eſſe vitioſum, quoniam quicunque vult cauſam, vnde nouit naſci talem effectum, vult etiam talem effectum, vel certè mauult effectu quàm cauſa carere. Quemadmodum qui tempore æſtus iter conficit perſpicuum eſt illum velle ſudare, vel ſaltem malle ſudare, quàm ab itinere abſtinere; cùm igitur qui prauas actiones exercet, ſciat inde naſcitura vitia, & tamen vult exercere huiuſmodi prauas actiones, contrahit ſpontè vitium : quantumuis vbi vitia fuerint inueterata iam ab illis vix poſſit abſtineri, ſicut is qui neglectis medicorum præceptis diſſolutè viuendo incidit in infirmitatem, à qua vix poteſt liberari, & qui lapidem emiſit ipſum reuocare non poteſt : qua de re præclarè diuus Auguſtinus lib. 8. Confeſſionum cap. 5. ex peruerſa, inquit, voluntate fit libido, cùm autem ſeruitur libidini facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur facta eſt neceſſitas quibus quaſi auſis ſibimet annexis texitur catena, qua vinctus animus ad inferos trahitur.

Porrò ad clariorem eorum, quæ hactenus de principiis actionum humanarum dicta ſunt cognitionem; ſciendum eſt in quouis negotio tres facultates concurrere, nempe intellectum, voluntatem,

& facultatem exequendi: ad intellectum ſeu rationem tria hoc loco pertinent apprehendere, deliberare, & imperare: voluntatis autem ſex ſunt actiones; tres circa finem, volitio, intentio & fruitio: totidem circa media, conſenſus, electio, & vſus: ad facultatem exequendi, tandem referuntur omnes vires, quæ imperio rationis, & voluntati mouenti parent: ſic ergo hæ tres facultates in agendo concurrunt, vt prima actio ſit apprehenſio finis. Secunda volitio eiuſdem, quando ſcilicet finis nobis placet. Tertia eſt fruitio imperfecta, id eſt, voluptas quæ percipitur ex ſpe conſequendi finem. Quarta eſt intentio finis id eſt voluntatis propoſitum acquirendi finem. Quinta vſus, quo voluntas applicat intellectum ad deliberandum. Sexta deliberatio. Septima conſenſus, quo voluntas adhæret concluſioni collectæ à ratione deliberante, quando ſcilicet, delectatur in eo, quod ratio adinuenit. Octaua electio, qua vnum alteri antepo-nit. Nona imperium rationis, quæ præcipit exequenda ea, quæ percepta ſunt, & huc vſque durat analyſis, ſeu reſolutio finis in ea quibus acquiritur. Decima eſt vſus, quo voluntas applicat facultates exequentes ad opus conficiendum, & hic incipit ordo executionis, quo à mediis ad finem progredimur. Vndecima eſt executio, qua abſoluitur opus. Duodecima eſt perfecta fruitio, id eſt delectatio, quæ percipitur ex perfecta poſſeſſione finis.

INTERVALLVM III.

Quid paſſio, quotuplex, cauſa efficiens, ſubiectum finis.

QVÆ ab Ariſtotele dicuntur πάθη, Latinè paſſiones, perturbationes, & affectus animi dici ſolent: definitur autem affectus, actio appetitus ſentientis, qua fertur in bonum vel malum iudicatum ab æſtimatiua, vel imaginatione. In hac definitione ponitur actio loco generis, cætera loco differentiæ. dicitur autem actio, quia licet ab Ariſtotele vocetur πάθος, id eſt, paſſio, propriè tamen eſt actio, & appetitio elicita ab appetitu ſentiente, ſicut volitio eſt actio elicita à voluntate. Dicitur autem paſſio, quia ſemper coniuncta eſt cum aliqua corporis motione, & paſſione, vt cùm in timore partes extremæ deſtituuntur, ſanguine confugiente ad cor, & ſic de cæteris: ſicut etiam dicitur perturbatio, tùm quia iudicium rationis perturbat, ſi fuerit vehemens, tùm quia peruertit ordinẽ inter appetitum ſentientem, & rationalem, quoniam ille huic imperanti parere debet. Additur 2. appetitus ſentientis, vt diſtinguatur ab appetitu rationali, in quo tametſi reperiantur eiuſmodi actus, vt amor, odium, ſpes, quia tamen non fiunt cum aliqua corporis motione & paſſione, ſicuti nec in Angelis. Hinc fit vt non dicantur propriè eſſe paſſiones, ſed operationes, vel affectiones. 3. ſubiungitur, quâ fertur in bonum, &c. quia ſicut voluntas fertur in bonum iudicatum à ratione, ſic appetitus ſentiens in bonum iudicatum à facultate æſti-

matiua; vel, vt alij volunt, ab imaginatione. Concupiſcibilis quidem appetitus in tale bonum ſimpliciter; iraſcibilis autem in bonum, vel malum arduum: vbi etiam notandum eſt appetitum ſentientem ferri dumtaxat in bonum vtile, vel iucundum, quod iudicatur eſſe tale ab æſtimatiua, ſiue reuerà tale ſit, ſiue apparens tantùm: voluntas autem fertur etiam in bonum honeſtum, quod cognoſcitur ab intellectu, cuius iudicium ſequitur ipſa voluntas: quod autem illud bonum honeſtum non poſſit ab appetitu ſentiente appeti, hinc probatur, quia tale bonum non poteſt cognoſci ab vllo ſenſu, cùm illud dicatur eſſe, quod eſt conforme rectæ rationi.

Tametſi varij varias eſſe paſſiones dixerint, vt Cardanus, qui lib. 14. de ſubtilitate enumerat viginti, tamen communis ſententia diui Thom. 1. 2. quæſt. 23. articulo 4. & aliorum eſt, vndecim tantùm eſſe præcipuas paſſiones ad quas cæteræ referuntur: ſex quidem in appetitu concupiſcibili, nempe amorem, deſiderium, gaudium, odium, fugam, & triſtitiam; & quinque in iraſcibili, ſcilicet, ſpem, audaciam, deſperationem, timorem & iram.

Cauſa efficiens paſſionum totalis eſt animal ipſum, partialis eſt anima, inſtrumentaria facultas appetendi: conditionalis apprehenſio obiecti à ſenſibus exterioribus & boni, vel mali iudicati à facultate æſtimandi, vel ab imaginatione.

Subiectum paſſionum eſt animal per intermedium vtrumque appetitum ſentientem, concupiſcibilem nimirum, & iraſcibilem. Sunt autem ambo illi appetitus in corde vt in ſubiecto; quod argumento eſſe poteſt neutrum appetitum exercere

poſſe ſuas actiones, quin fiat aliqua commotio in corde, vt in ira ſanguis circa cor ebullit, in lætitia dilatatur.

Finis eſt conſeruatio & perfectio animalis; aliæ enim ſunt inſtitutæ ad declinandum malum, aliæ ad proſequendum bonum ſibi conueniens, aliæ ad ſuperandas difficultates, quibus impeditur animal, ne bonum commodum conſequatur, & malum fugiat.

AREOLA SENSITIVA.

De paſsionibus humanis, amore, odio, &c.

De amore quid ſit, cauſa, effectus, conditiones.

Amor eſt complacentia, & inclinatio in bono apprehenſo, vel eſt paſſio facta ab appetibili, vt placet appetenti. Duplex autem eſt amor, vnus qui dicitur beneuolentiæ, ſeu amicitiæ: alter concupiſcentiæ: prior dicitur, quando complacemus nobis de bono, quod amato cupiebamus, & procuramus propter ipſum amatum, non propter nos, qualis eſt amor Dei erga nos, & parentum erga filios, & qualis noſter erga illos eſſe debet: poſterior eſt quando complacemus nobis de bono, quod alteri cupiebamus propter noſtrum commodum, & vtilitatem; atque horum amorum prior nobilior eſt.

Cauſæ amoris ſex numerantur. Prima & adæquata eſt bonum, tàm verum, quàm apparens. Secunda, pulchrum, & formoſum; tendit enim animus noſter in pulchritudinem tanquam in ſimilem, vel tanquam in florem quendam bonitatis: eſt autem duplex pulchritudo; vna interior, quæ conſiſtit in perfectione animæ; altera exterior,

quam definit Cicero Tuſcul. Tertia, partium congruentiam cum quadam coloris ſuauitate illa vocatur bonitas; hæc autem communiter pulchritudo. Tertia, eſt ſimilitudo in qua amatum conuenit cum amante; vnde amans amat ſui ſimilitudinem, quaſi ſeipſum in alio: ſic Deus amat homines propter ſimilitudinem ſui ipſius, quæ eſt in homine; ſic parentes amant filios. Quarta, eſt certa quædam proportio & complexio nobis incognita, quam Græci συμπάθειαν nominant: experimur enim quoſdam vix viſos & cognitos à nobis mirum in modum amari. Quinta, conſuetudo, & exercitatio communis, qua ratione condiſcipuli, & in eodem contubernio habitantes ſe diligunt. Sexta, eſt ipſe amor, quam cauſam tradit Seneca his verbis, *Si vis amari, ama.*

Effectus amoris ſunt quinque. Primus, eſt vnio rei amatæ cum amante; quia amor mouet amantem ad quærendam amati præſentiam, connitens ſimul copulare vtrumque, ſcilicet, amantem, & amatum: quare amicus dicitur quaſi alter ego, & D. Auguſt. lib. 4. Confeſſionum cap. 6. de ſuo amico dixit, Dimidium animæ meæ, & lib. 8. de Trinitate cap. vltimo ait, amorem eſſe iuncturam quandam duo copulare intendens. Secundus, inhæſio mutua, id eſt, quòd amans ſit in amato, & contrà propter amoris reciprocationem. Tertius, ecſtaſis, quæ eſt ſuſpenſio quædam animi in virtute apprehenſiua, quæ fit extra ſe amans: ſimiliter in appetitu aliquis nonnunquam ita rapitur, vt omnia propter amatum vileſcant. Quartus, infirmitas, per accidens tamen: nam amor per ſe perficit. Quintus, amor eſt cauſa omnium paſſionum, præſertim

verò amor concupiſcentiæ, ex quo naſcitur zelus, & zelotypia.

Ioannes Picus Mirandulanus colligit duodecim conditiones veri amoris. Prima, hoc amore vnicum amare, & præ illo cuncta contemnere: nam amor diffuſus in plures non eſt tantæ perfectionis, cùm illis non niſi per partes communicari poſſit. Secunda, miſerum putare qui tanto priuetur amato. Tertia, omnia pati, etiam mortem, vt cum amato poſſit eſſe; hinc à nonnullis ἔρως dicitur παρὰ τὸ ἔῤῥωμαι, valens ſum, quia amor ſuper omnia conſtans eſt: hinc etiam dici ſolet, amanti nihil eſſe difficile. Quarta, ſe ornare, vt illi placeat. Quinta, ſaltem cogitatione, ſi non poteſt fieri reipſâ, cum eo ſemper eſſe. Sexta, omnia præter ipſum quæ ad ipſum attinent amare, vt eius amicos, loca inſignia, ſcripta, nomina, imagines. Septima, nihil tam appetere, quàm eius laudes & honorem. Octaua, de eo omnia ſumma credere, & vt omnes idem credant, vehementer affectare. Nona, optare pro eo pati aliquod incommodum, & quidem cum delectatione. Decima, flere ſæpè pro eo, vel ſi præſens ſit ex lætitia vberiore, vel ſi abſens ex dolore. Vndecima, ſemper languere illius deſiderio. Duodecima, illi diligenter ſeruire, non cogitando de præmio aut mercede.

De Odio.

Odium repugnat amori, ideò facile eſt ex ſupradictis intelligere quid ſit, quas cauſas habeat, quæ effecta, & proprietates, nam contrariorum contraria eſt natura, contrariæ cauſæ, & contrariæ proprietates: itaque odium eſt diſplicentia mali iudicati ſimpliciter, vnde illius cauſæ ſunt præci-

puæ, malum, deforme, diſſimile, & cæteræ quæ ſatis patent.

De Deſiderio quid ſit, effecta, cauſæ.

Deſiderium eſt inclinatio appetitus concupiſcibilis ad proſequendum bonum amatum. Differt ab amore, & gaudio, quòd hæc verſantur circa bonum apprehenſum ſimpliciter, vel vt præſens; illud autem vt abſens: duplex eſt deſiderium, naturale quo tendit homo in bonum, ſuæ naturæ conueniens, vt in ſomnum, cibum, refrigerium; & non naturale, quo tendit in bonum à ratione dependens, cuiuſmodi ſunt honores, diuitiæ, &c. Differunt in eo præcipuè, quòd naturale commune ſit omnibus animalibus, non naturale verò ſit homini proprium: deinde quòd illud ſit finitum, quia non expetimus, verbi gratiâ, cibum, niſi ad certam vſque menſuram, id eſt, quo ad famem ademerimus; ſed quia poſterius rationem ſequitur, & ratio apprehendens bona non naturalia vlteriùs ſemper progreditur, nec ad aliquid certum eſt definita; hinc fit vt hoc deſiderium ſit aliquo modo infinitum.

Effecta deſiderij ſunt fermè eadem, quæ amoris; nam qui inordinatè deſiderant, innumeris penè laboribus, & anguſtiis ſe cruciant, vt rem concupitam conſequantur; hinc ſuſpiria, exclamationes, niſi rationis dictamen & regula adhibeatur.

Naſcitur deſiderium ex iiſdem cauſis, ex quibus amor maximè verò ex bono futuro apprehenſo, augetúrque ſi clariùs cognoſcatur, præſertim verò apprehenſâ huius boni pulchritudine, & neceſſitate; non tamen omnes æqualiter deſiderant, ſed calidiores feruentiùs, frigidiores minùs feruenter; hi tamen conſtantiores eſſe ſolent in deſiderandis &

proſequendis rebus: nam qui multùm caloris habent, ſi ſtatim non fiant voti compotes, ad aliud bonum ſeſe conuertunt, niſi fortè à ratione coërceantur. Notabis, quòd ſicut amor alius eſt appetitus ſentientis, alius voluntatis, ſic deſiderium aliud eſt appetitus concupiſcibilis, dicitúrque concupiſcentia, & cupiditas, & verſatur ſolùm circa bonum vtile, & iucundum: aliud voluntatis, quod propriè dicitur deſiderium, verſatúrque circa triplex bonum, ſcilicet, vtile iucundum, & honeſtum; ſed maximè circa honeſtum.

De Fuga.

Fuga, quæ deſiderio opponitur, ex ſupradictis facilè poteſt intelligi, eſt enim veluti deteſtatio quædam mali abſentis; cuius effecta ſunt ſuperioribus oppoſita.

De delectatione ſeu gaudio, quid, cauſa, effecta.

Delectatio ſeu voluptas, vel gaudium eſt actus quo appetitus concupiſcibilis, quaſi conquieſcit in bono ſenſibili iam obtento, & præſenti: ſunt autem aliæ delectationes animæ, aliæ corporis, ſeu ſenſus; aliæ item naturales, quæ ſcilicet naturam ſequuntur, benè diſpoſitam, qualis eſt ea quæ percipitur ex potu poſt longam deambulationem, vel in magna ſiti; aliæ verò præter naturam, quæ ſcilicet non ſequuntur naturam benè diſpoſitam; vt cùm naſcitur ſitis ex mala habitudine, vel ægritudine corporis: ſunt autem mentis delectationes nobiliores & maiores abſolutè voluptatibus corporis, quia actiones mentis quas conſequuntur ſunt nobiliores, & magis abſtractæ à ſenſibus, delectationes tamen ſenſus ſunt ſecundùm quid vehementiores; quia eorum obiecta ſunt nobis familiariora,

& habent ſecum annexam corporis tranſmutationem.

Cauſæ delectationum ſunt: Prima, præſens bonum, conueniens, totúmque ſimul apprehenſum. Secunda, eſt operatio, vel quatenus per eam aſſequimur aliquod bonum, vel quatenus ipſamet operatio eſt cognita, vt aliquod bonum, vel quatenus per eam inducimus in aliquam cognitionem, & æſtimationem, quomodo delectant adulatores. Tertia, tranſmutatio, & varietas, quia natura delectatur varietati. Quarta, ordo propter conuenientiam, quæ in eo reperitur. Quinta, ſimilitudo propter eandem rationem, licet tamen per accidens poſſit eſſe cauſa triſtitiæ; ſic figulus figulo inuidere dicitur. Sexta, memoria, & ſpes: quia delectatio oritur ex præſentia boni, maior tamen eſt delectatio quàndo eſt actu præſens, & à ſenſu percipitur. Septima, triſtitia per accidens poteſt eſſe cauſa delectationis. Octaua, benefacere alteri. Nona, admiratio quæ habet annexam ſpem obtinendæ cognitionis eius quod deſideratur.

Effecta delectationis: Primum, dilatatio cordis, quia ſcilicet extenditur ſanguis ad partes exteriores, vt quodammodo illæ participes fiant illius boni, & delectationis præſentis: ſic enim membra ſe mutuò iuuant. Secundum ſanitas corporis, ſi delectatio ſit moderata, tunc enim releuamur & recreamur à moleſtiis & curis, & moderatâ dilatatione ſanguinis ſpiritus ſunt puriores, ex quibus naſcuntur perfectiores animalis delectationes: quòd ſi immoderata foret, non mediocriter noceret, imò poſſet eſſe tanta, vt mortem repentinam afferret: ratio eſt, quia ſicut nimiâ triſtitiâ ſuffocatur cor, ſic

nimiâ dilatatione ſanguine deſtitutum poteſt labefactari. Tertium, eſt riſus qui definitur motus oris, & pectoris factus à diafragmate per muſculos vſque ad buccam: hinc fit, vt qui tanguntur ſub axillis, & titillantur, facilè rideant; quia per illum contactum mouentur partes, quæ cum ſupradictis magnam habent connexionem: deinde illud eſt inſuetum; vt autem aliquod effectum riſum moueat, debet eſſe nouum, iucundum, inſuetum & repentinum, & quidem præcedente admiratione, quæ cùm in ſolo homine reperiatur, ſolus etiam homo poteſt eſſe riſus capax: hæc intellige de riſu naturali, non de affectato, cuiuſmodi eſt ſubſannatio. Quartum, moderata delectatio eſt cauſa finalis operationis; nam operationes cum quibus eſt coniuncta delectatio faciliùs exercentur; per accidens tamen fit, vt immoderata delectatio obſit ſpeculationi, quia diſtrahit animum, ne ſit attentus. Quintum, deſiderium interdum, & nonnunquam etiam moleſtia, per accidens tamen, vel quia ipſa delectatio annexam habet aliquam defatigationem, vel ſaltem apprehenſionem priuationis illius.

De Triſtitia quid, cauſæ, effecta, remedia.

Triſtitia delectationi opponitur. eſt autem actus appetitus concupiſcibilis, quo idem appetitus conquieſcit in malo præſenti apprehenſo: triſtitiæ ſpecies sũt quatuor, miſericordia, inuidia, anxietas, ſeu anguſtia & acedia. Miſericordia ex Ariſt. 2. Rhet. c. 8. eſt dolor de malo alterius, quod nobis videtur immeritò illi accidere, vt ſunt infortunia, morbi; fit autem miſericordia ſeu dolor ille internus, quando ex apprehenſo alterius malo contrahitur calor, qui ſi fuerit moderatus calefacit cerebrum, vnde ſi

& habent ſecum annexam corporis tranſmutationem.

Cauſæ delectationum ſunt: Prima, præſens bonum, conueniens, totúmque ſimul apprehenſum. Secunda, eſt operatio, vel quatenus per eam aſſequimur aliquod bonum, vel quatenus ipſamet operatio eſt cognita, vt aliquod bonum, vel quatenus per eam inducimus in aliquam cognitionem, & æſtimationem, quomodo delectant adulatores. Tertia, tranſmutatio, & varietas, quia natura delectatur varietati. Quarta, ordo propter conuenientiam, quæ in eo reperitur. Quinta, ſimilitudo propter eandem rationem, licet tamen per accidens poſſit eſſe cauſa triſtitiæ; ſic figulus figulo inuidere dicitur. Sexta, memoria, & ſpes: quia delectatio oritur ex præſentia boni, maior tamen eſt delectatio quàndo eſt actu præſens, & à ſenſu percipitur. Septima, triſtitia per accidens poteſt eſſe cauſa delectationis. Octaua, benefacere alteri. Nona, admiratio quæ habet annexam ſpem obtinendæ cognitionis eius quod deſideratur.

Effecta delectationis: Primum, dilatatio cordis, quia ſcilicet extenditur ſanguis ad partes exteriores, vt quodammodo illæ participes fiant illius boni, & delectationis præſentis: ſic enim membra ſe mutuò iuuant. Secundum ſanitas corporis, ſi delectatio ſit moderata, tunc enim releuamur & recreamur à moleſtiis & curis, & moderatâ dilatatione ſanguinis ſpiritus ſunt puriores, ex quibus naſcuntur perfectiores animalis delectationes: quòd ſi immoderata foret, non mediocriter noceret, imò poſſet eſſe tanta, vt mortem repentinam afferret: ratio eſt, quia ſicut nimiâ triſtitiâ ſuffocatur cor, ſic

nimiâ dilatatione ſanguine deſtitutum poteſt labefactari. Tertium, eſt riſus qui definitur motus oris, & pectoris factus à diafragmate per muſculos vſque ad buccam: hinc fit, vt qui tanguntur ſub axillis, & titillantur, facilè rideant; quia per illum contactum mouentur partes, quæ cum ſupradictis magnam habent connexionem: deinde illud eſt inſuetum; vt autem aliquod effectum riſum moueat, debet eſſe nouum, iucundum, inſuetum & repentinum, & quidem præcedente admiratione, quæ cùm in ſolo homine reperiatur, ſolus etiam homo poteſt eſſe riſus capax: hæc intellige de riſu naturali, non de affectato, cuiuſmodi eſt ſubſannatio. Quartum, moderata delectatio eſt cauſa finalis operationis; nam operationes cum quibus eſt coniuncta delectatio faciliùs exercentur; per accidens tamen fit, vt immoderata delectatio obſit ſpeculationi, quia diſtrahit animum, ne ſit attentus. Quintum, deſiderium interdum, & nonnunquam etiam moleſtia, per accidens tamen, vel quia ipſa delectatio annexam habet aliquam defatigationem, vel ſaltem apprehenſionem priuationis illius.

De Triſtitia quid, cauſæ, effecta, remedia.

Triſtitia delectationi opponitur. eſt autem actus appetitus concupiſcibilis, quo idem appetitus conquieſcit in malo præſenti apprehenſo: triſtitiæ ſpecies ſũt quatuor, miſericordia, inuidia, anxietas, ſeu anguſtia & acedia. Miſericordia ex Ariſt. 2. Rhet. c. 8. eſt dolor de malo alterius, quod nobis videtur immeritò illi accidere, vt ſunt infortunia, morbi; fit autem miſericordia ſeu dolor ille internus, quando ex apprehenſo alterius malo contrahitur calor, qui ſi fuerit moderatus calefacit cerebrum, vnde ſi

cerebrum ſit humidioris naturæ humor aqueus diſtillatur, excutiuntúrque lachrymæ. hinc fit vt fœminæ & infantes ſint ad fletum propenſiores: ſi verò ſiccæ, non effunduntur lachrymæ, ſed naſcitur dolor capitis: notat autem Viues datas eſſe lachrymas, vt indicent miſeriam noſtram, & alij noſtri miſereantur. Inuidia eſt dolor ſeu triſtitia de bono alterius apprehenſo, vt malo, quaſi offendat vel minuat noſtrum bonum, contingit multis modis: primò, cùm bonum alterius minuit noſtrum: ſecundò, quando dolemus de bono alicuius, quia illud cupimus, & tunc in re bona dicitur æmulatio: tertiò, cùm dolemus de bono, & deſideramus ne habeat; quia nobis officit, & quidem bifariam, vel quia nollemus habere, & hæc eſt diabolica, vel quia vellemus nobis, & hæc propriè dicitur inuidia: eſt autem inuidia propriè inter pares, & reſpectu eiuſdem rei illius obiectum conſiſtit in honoribus, pecuniis, & ſimilibus: conuenit primò inuidia ſuperbis cupientibus cæteris præeſſe: oritur enim illa ex cupiditate excellendi: ſecundò, puſillanimis, qui cùm abiectiori ſint animo iudicant bona aliorum potiora, ac maiora quàm ſua, vel certè metuunt ne id contingat. Anxietas eſt aggrauatio quædam ex triſtitia. Acedia eſt ea aggrauatio quæ reddit hominem immobilem, vt in repentinis accidit.

Cauſæ triſtitiæ ſunt: Prima, malum coniunctum præſens, & apprehenſum, ſiue ex rei veritate ita ſit, ſiue ex imaginatione tãtùm. Secunda, aliæ paſſiones de bono ſunt etiam cauſæ triſtitiæ, licet per accidens, vt amor, & deſiderium: ſi enim offeratur aliquid contra amatum, & bonum abſens quod deſide-

deſideratur propter nimiam moram cauſatur triſtitia. Tertia, conſtitutio corporis, vnde melancholici maximè triſtantur; ſimiliter ſtudia, vigiliæ, labores, & alia eiuſmodi generant per accidens triſtitiam, quatenus ſunt cauſa craſſi ſanguinis: impediunt enim digeſtionem, quæ eſt cauſa humoris melancholici. Quarta, cibi apti ad generandam melancholiam ſunt cauſa triſtitiæ, cuiuſmodi ſunt cibi frigidi & ſicci, vt carnes bubulæ, leporinæ, ſal immoderatè ſumptum: tandem ipſa triſtitia eſt cauſa triſtitiæ, quatenus eſt cauſa melancholiæ, & hæc rurſum triſtitiæ.

Quod ſpectat ad effectus triſtitiæ notat Diuus Thomas prima ſecundæ quæſt. 37. artic. 4. triſtitiam præ cæteris paſſionibus maximè nocere corpori; quia inter paſſiones illæ magis nocent, quæ faciunt motus contra naturam; cùm autem huiuſmodi ſint omnes paſſiones in malum, quoniam efficiunt contractionem ſanguinis, quæ eſt contra naturam; quia ſanguis, vt potè calidus naturâ ſuâ dilatatur; inter eas tamen peſſima eſt triſtitia, tum quia timor verſatur tantùm circa malum abſens, at triſtitia circa præſens: igitur cæteris paribus magis nocet triſtitia, tum quia impedit operationes animæ, vt facultatem addiſcendi, intelligendi; cùm enim anima eſt intenta vehementi illi paſſioni, aliis intenta eſſe non poteſt, tum quia impedit ſpiritus animales neceſſarios ad perfectam operationem, ne ſcilicet purificant, tum quia ſi vehementior fuerit aggrauat animam, éſtque veluti pondus, quo anima quaſi ſtupida & corpus tanquam immobile remanet, tum quia inducit ſomnum refrigerato cerebro, iuxta illud Pſalmiſtæ: *Dormitauit anima*

mea præ tædio; ex hac etiam oritur odium, tùm hominum, tùm lucis ipſius, rerúmque omnium humanarum, ex quo naſcitur mœror; vnde infinita alia mala tanquam tela contexuntur; cúmque in meticuloſis augeatur potiſſimùm, tùm inducit eos nonnunquam in odium ſui diſputationem & rabiem.

Remedia ad tollendum triſtitiam: Primum, balnea, & ſomnus conferunt plurimùm ad tollendam triſtitiam, quod experientiâ conſtat: contingit enim interdum, vt ad veſperum euntes cubitum triſtes, manè ſurgamus læti; quia reparato ſanguine, & ſpiritibus cerebrum refocillatur: deinde, quia per balneum & ſomnum reſtituitur homo in priſtinum ſtatum: dilatatur enim ſanguis, & confert ſe ad ſua loca, vnde poteſt exercere ſuas functiones, & ita deſinit eſſe triſtis. Secundum, confert multùm moderata exercitatio; quia per eam excitatur ſanguis, & magis caleſit, quod eſt contrarium mœſtitiæ. Tertium, cibi contrariæ complexionis; vt vinum album moderatè ſumptum, cibi calidi & humidi, vt carnes arietinæ. Quartum, fletus; quia per eum grauatus ſanguis magis leuatur: ita Diuus Auguſt. ſcribit ſe ſuam quandam triſtitiam fletu curaſſe. Quintum, conſolationes amicorum, vt docet Ariſtoteles 9. Ethic. cap. 11. quia videntur quodammodo fieri participes noſtræ mœſtitiæ, & videntur ferre partem, tùm quia compatiendo indicant amorem ſuum erga nos, qui eſt cauſa lætitiæ. Sextum, contemplatio veritatis; vt conſiderare triſtitiam, non poſſe iuuare, imò plurimùm obeſſe corpori & animæ; hæc enim conſideratio auertit imaginationem à malo apprehenſo, quod

erat cauſa triſtitiæ, vel etiam conſideratio futuræ beatitudinis: ſic enim Diuus Thomas ait ſanctum Tiburtium martyrem, cùm nudis pedibus ſuper ardentes prunas incederet, dixiſſe videri ſibi incedere ſuper flores roſeos in nomine Ieſu-Chriſti. Septimum, conferunt moderatæ delectationes, cantus muſicæ, & ſimiles, quia contraria contrariis curantur.

Hactenus de paſſionibus appetitus concupiſcibibilis, tàm circa bonum, quàm circa malum: iam deinceps agendum eſt de paſſionibus appetitus iraſcibilis, quarum duæ primæ ſunt ſpes, & deſperatio; illa circa bonum arduum; hæc circa malum ſimiliter arduum.

De Spe, quid, ſubiectum, cauſa, effecta.

Spes eſt affectio appetitus iraſcibilis circa bonum arduum ſimpliciter, poſſibile tamen & apprehenſum: vnde infert Diuus Thomas ſpem eſſe in animantibus, ſicut eſt ipſe appetitus; quod probat hac experientia: ſi enim canis videat leporem nimis diſtantem, non mouetur, quaſi deſperans ſe adipiſci poſſe; ſi verò cominùs, mouetur vt capiat.

Subiectum ſpei eſt appetitus iraſcibilis; cùm enim deſperatio ſit in appetitu iraſcibili, ſpes quoque in eo eſſe debet; quia contraria debent recipi in eodem ſubiecto; quòd autem deſperatio ſit in appetitu iraſcibili patet; quia ille propriè deſperare dicitur, qui ob difficultatem quam apprehendit, vel patitur in acquirendo quod deſiderat, deſiſtit ab acquiſitione, nec vult illud quærere: igitur propriè eſt in appetitu.

Cauſæ & effecta ſpei ſunt eadem fermè quæ de-

ſiderij! tantùm notandum eſt cum Ariſtotele & Diuo Thoma, iuuenes & ebrios eſſe magnæ ſpei; illos quidem, quia calore & ſpiritibus abundant, quibus accenditur cor ad ardua ſperanda, tùm quia nondum ſunt experti impedimenta in ſuis conatibus; vnde facilè ſperant quoduis ſibi eſſe poſſibile; hos verò propter eandem cauſam, calorem ſcilicet cordis ex vino, & inconſiderationem periculorum.

De Deſperatione.

Quod attinet ad deſperationem, nihil aliud occurrit, niſi quod licet tàm præſumptio, quàm deſperatio ſit vitioſa, videtur tamen minus malum nimis præſumere, quàm nimis deſperare; illud enim eſt animi virilis & feruentis; hoc verò fœminei & frigidi.

De Audacia.

Cùm omnes paſſiones appetitus iraſcibilis verſentur circa bonum vel malum arduum, audacia præſertim verſatur circa ſuperanda pericula quæ occurrunt in acquiſitione boni ardui, & poſſibilis: vnde apparet quomodo diſtinguatur à cæteris, quamuis maximam habeat affinitatem cum ſpe & deſiderio: hinc fit, vt quæ ſpem & deſiderium augent, audaciam quoque intendant; imò verò audacia licet per accidens intenditur à ſpe & ab amore: nam faciliùs quis aggreditur pericula, & repulſionem mali, quominùs difficultatis percipit in eo repellendo. Amoris autem proprium eſt excæcare imaginationem, & impedire quo minùs multa videantur, quæ alioquin viderentur: itaque tam æſtimatio maioris boni ardui, quàm id quod minuit æſtimationem, ſeu apprehenſionem mali toleran-

di, vel periculi effugiendi augent audaciam. Secundò, apprehenſio quorumdam internorum vel externorum præſidiorum, quæ iuuant ad toleranda pericula, cuiuſmodi ſunt robur corporis, diuitiarum copia, amicorum & ſeruorum multitudo; cùm enim homo cognoſcit ſe eſſe illis prædítum, fit audacior: hinc Ariſtoteles 2. Rhet. cap. 5. ſcribit eos audaciores eſſe qui ſunt pij in deos, & benè ſe habent tàm ad cætera quæ diis tribuuntur, quàm ad omnia oracula. Tertiò, qui paſſi ſunt iniuriam; quia ſcilicet Dei opem ſibi adfuturam pollicent. Quartò, conſtitutio partium corporis iuuat ad augendam audaciam, vt moderata corporis magnitudo, pulmones ſanguine repleti: ſic enim Ariſtoteles ſect. 27. problem. quæſt. 4. ait eos qui ſanguinolentum habent pulmonem, minùs timere, proindéque audaciores eſſe, quia multùm habent caloris in corde, & lib. 3. de partibus animalium cap. 4. ſcribit eos audaciores item eſſe, qui habent cor paruum; quia nimirum, cor huiuſmodi, inſtar paruæ domus, facilè incaleſcit, & accenditur; vinum item, quia dilatat cor, & ingenerat ſpem, quam audacia conſequitur: hinc ebrij plerumque ſolent eſſe audaces: iuuenes item, quia in his feruet ſanguis: prætereà, qui nati ſunt in locis frigidioribus ſunt etiam audaciores, qui verò in calidioribus timidiores propter antiperiſtaſim; ſimiliter, qui nunquam experti ſunt pericula; tandem qui abundant omnibus bonis, & contrà, qui in maximis ærumnis ſunt conſtituti: illi quidem, quia arbitrantur ſe poſſe ſuperare omnes miſerias; hi verò, quia nihili ducunt miſerias.

De Timore, quid, cauſa, effecta.

Timor, ex Ariſtotele 2. Rhet. cap. 5. eſt perturbatio ex futuri mali moleſti, aut pernicioſi imaginatione: id eſt, timor eſt appetitus iraſcibilis contrarius audaciæ, ſeu fiduciæ, quæ verſatur circa malum arduum futurum. Eſt autem duplex timor, naturalis de malo ſcilicet corruptiuo, quod natura refugit propter naturale deſiderium ſuæ conſeruationis: & non naturalis, qui eſt de malo contriſtatiuo, quod nõ repugnat naturæ, ſed deſiderio appetus, qui naſcitur ex opinione futuri mali: ſunt & aliæ ſex ſpecies timoris, ſcilicet, ſegnities, ſeu cunctatio, erubeſcentia, verecundia, admiratio, ſtupor, & agonia. Segnities eſt formido laboris: erubeſcentia eſt timor amittendi propriam famam, vel æſtimationem, propter aliquẽ defectum futurum: verecundia eſt timor eiuſdem amiſſionis, propter aliquem defectum præſentem: admiratio eſt timor magni mali, cuius cauſam vel remedium neſcit inuenire, qui timet: ſtupor eſt timor mali, quod ob inexperientiam apparet malum: agonia tandem eſt timor de malo iam inſtanti, quod impediri non poteſt: ſed in hac diuiſione, timoris nomen latè ſumitur. Sanflorus in theſauro Ariſtotelis, his addit adulationem, ſeu blanditiam meticuloſam, ſuſpicionem, deſperationem, deiectam mentis conſternationem, ſollicitudinem, & ſimilia. vbi notabis non repugnare quaſdam ex illis, ad varias ſpecies perturbationum diuersâ ratione referri.

Præcipua cauſa timoris, eſt ipſius obiectum, ſcilicet malum arduum imminens futurum. Sed dices, ſi malum eſt obiectum timoris, quomodo timemus Deum, & probos homines, cùm illi non

ſint mali? Reſpõdetur timeri, quatenus poſſunt infligere malum; ſi tamen non apprehendatur vt malum, ſed tanquam ſuperioris autoritas & potentia, dicitur reuerentia, non timor; qualis eſt timor veri filij erga patrem. Augent autem timorem: Primò, ſi malum huiuſmodi ſit repentinum, quia quod repentinum eſt, minùs conſilij admittit. Secundò, ignota maiorem incutiũt timorem, propter eandem cauſam; hinc qui carent experientiâ, vt pueri & mulieres, magis timent: adde quod, tunc augetur timor, quia non occurrit ratio, quâ malum illud repẽtinum vitari poſſit. Tertiò, quò malũ eſt propinquius, & magis imminẽs, eò magis timetur: hinc fit, vt homines non ita timeant pœnas ęternas, extremum iudicium, mortem, peſtem, & cætera mala alioqui grauiſſima, quia ea non apprehendunt tanquam proxima, ſed remota. Quartò, conſtitutio corporis ad id plurimùm iuuat; nam qui ſunt frigidioris temperamenti, ſunt etiam magis meticuloſi. Quintò, naſcitur etiam timor ex naturali quadam contrarietate, quatenus alia ſibi poſſunt inferre mala, vt ouis timet lupum.

Multa ſunt timoris effecta, tàm in corpore, quàm in anima. Primum, eſt contractio ſanguinis, & ſpirituum; nam cùm timor naſcatur ex debilitate, quâ ſcilicèt, non poteſt reſiſtere malo: hinc fit, vt ſpiritus & ſanguis contrahant ſe ad cor, velut ad arcem, vt ſic vniti faciliùs poſſint reſiſtere; nam virtus vnita fortior eſt ſeipſa diſperſa; hæc autem contractio magis fit à maioribus partibus ad cor ipſum inferius, quàm ab inferioribus: in ira autem contrarium contingit; nam in ira, cùm ſpiritus ſubtiliores ſint, cor efferueſcit propter circumfu-

ſum calorem : hinc fit, vt irati prompti ſint ad inferendam iniuriam ; at dum homo timet, ſpiritus vitales fiunt craſſiores propter frigus, quare, vnâ cum calore deferuntur ad inferiores corporis partes ; hinc qui timent, aluum facilè exonerant ; hinc etiam eorum venter obcrepare ſolet. Secundum effectum naſcitur ex primo, nempe, pallor, maximéque in facie, qui contingit, quando ſanguis receſſit à facie. Tertium, frigus in extremis partibus, quia contrahitur calor vnâ cum ſanguine. Quartum, ſi ſit vehemens timor, naſcitur tremor & trepidatio ; ille dicitur motus in contrarias partes, vt contingit in febricitantibus : partes autem illæ magis tremunt, quæ vel ſunt magis mobiles, vel habent maiorem connexionem cum corde, ſic vox tremit, quia aſpera arteria, in qua fit, non procul à corde terminatur ; ſic labrum inferius, non ſuperius ; hoc enim naturâ ſuâ tendit deorſum ; illud verò vi caloris erigitur : quare deficiente calore deficit & tremit ; imò tota inferior mandibula, vnde conſequitur ſtridor, & concuſſio dentium, brachia tandem & genua, propter eandem cauſam. Quintum, ſitis & ſilentium. Sextum, naſcitur horror, qui eſt aſperitas cutis, & pilorum, qui deſeruntur calore & ſpiritibus ; atque ita pili ſubſiliunt. Septimum, perculſio, quæ ſi magna fuerit, dicetur conſternatio, ex qua acerbiore, exanimatio, & mors aliquando conſequuntur ; quia, ſcilicet, nimio ſanguine calor naturalis cordis ſuffocatur. Octauum, interdum ex repentino & vehementi metu oritur canities, vt refert Scaliger exercitatione 312. de quodam Mantuano Principe ; cuius ratio eſt, quia ſubtractis ſpiritibus, & calore corrumpitur humi-

dum, quod eſt alimentum pilorum, ex qua corruptione naſcitur canities; ſicut ſubducto penitus illo alimento, fit caluities. Nonum, cum timore vehementi coniunctæ ſunt aliæ affectiones, vt admiratiuus timor, quia admiratio eſt animi ſuſpenſio cum deſiderio ſciendi, qui tamen poteſt eſſe ſine timore; ſic ſtupor mentis, qui naſcitur de malo inconſueto, qui licet poſſit etiam eſſe ſine metu, quando tamen coniungitur dicitur effectus timoris; ſic ectaſis, eſt dubitatio quædam timoratiua. Decimum, timor nocet operationibus, contrahit enim ſpiritus, ex quo naſcitur languor membrorum, & debilitatio operationum, quæ indigent huiuſmodi ſpiritibus, & calore. Notandum tamen eſt, ex timore moderato naſci, conſultationem, & prudentiam, proindéque iuuare operationem, vt docet Ariſtoteles 2. Rhet. cap. 5.

De Ira, quid, quæ & quot, ſpecies, cauſæ, effecta, remedia.

Ira, quam deducunt à verbo, ire, quia iracundus videtur extra ſe ire, & qui iram deponit ad ſe redire dicitur, definitur ab Ariſtotele feruor ſanguinis circa cor, non quod propriè, ac formaliter ſit ille feruor, ſed quòd ſit coniuncta cum tali feruore, at 2. Rethor. cap. 2. dicitur apparentia vltionis appetitus cum dolore propter apparentem immeritò vel in ſe, vel in ſuos contemptum.

Tres ſunt iræ ſpecies, fel vel iracundia, éſtque ille primus motus & impetus, ſeu principium iræ. Secunda dicitur furor qui non quieſcit niſi ſumatur cum vindicta. Tertia Mania à manendo dicta, quòd huiuſmodi ſpecies iræ diù permaneat. At di-

uus Gregorius Magnus lib. 21. Moral. cap. 1. ponit tres alios gradus iræ nimirum ſine voce, cum voce, & verbo expreſſo.

De cauſis iræ, hoc in vniuerſum dici poteſt, primam & obiectiuam eſſe malum offendens quod repelli poteſt: ex eo enim quod malum eſt facit accenſionem ſanguinis, quia verò poteſt repelli, excitat appetitum vindictæ, præſertim verò malum quod cauſat contemptum. Vnde prima radix iræ eſt contemptus, pariunt autem contemptum, detractio, quia qui alteri detrahit vult quaſi ſe ſuperiorem collocare. Secunda contumelia, quæ nihil aliud eſt, quàm aliquem dolore afficere ob verum, aut apparens probrum obiectum. Tertia vituperatio. Quarta illuſio vel irriſio, & cætera id genus contemptus ſigna, quæ ad iram prouocant, vt obliuio, quæ eſt ſignum negligentiæ, & contemptus. Quinta auget contemptum, proindéque iram circumſtantia perſonæ, quæ contemnit, vt ſi contemnamur à familiari, ab amico, à filio, ab eo de quo benè meriti ſumus. Sexta complexio auget iram, vt colerici faciliùs iraſcuntur, pituitoſi difficiliùs. Denique augetur ira ex modo & inſtrumentis, vt ſi quis alium calceo, virgis, vel pugno percutiat, ſi alter rideat quando ille iraſcitur & cætera.

Præcipui effectus iræ ſunt. Primus feruor ſanguinis circa cor cum amaritudine, & dolore, quo diſtinguitur ab amore, qui licet excitet feruorem eiuſdem ſanguinis, & ſpirituum circa cor, id tamen fit cum dulcedine, lætitia & ſuauitate. Secundus impeditur rectus rationis vſus: hinc contingit iratos quædam agere, quæ poſtea nollent egiſſe: hinc crudelitas nonnumquam, niſi iræ modus adhibea-

tur. Tertius ex ira ſecundùm Ariſtotelem naſcitur delectatio, quia vltio, cùm ſit de bono gignit delectationem, itémque memoria, & ſpes abſentis boni gignunt etiam iucunditatem. Quartus, prodit ſe maximè ira ſignis quibuſdam externis, ſolent enim quidam irati paleſcere, quia ſanguis contrahitur: alij rubeſcere quibus mobilior eſt ſanguis; palpitat cor, vnde vox deficit, ſermo interrumpitur, quia ratio impedita eſt; quibuſdam ardent & inflammantur oculi, quia ſanguis extenditur ad partes exteriores. Tandem qui iraſcuntur ſaltant, excandeſcunt, vociferantur, &c. vt oſtendant ſe malè & iniuria contemni.

Superſunt remedia quibus tolli, vel ſaltem mitigari poſſit ira. Notandum igitur eſt, ſicut præcipua iræ cauſa eſt opinio, vel perſuaſio iniuriæ & contemptus, ſic optimum remedium erit deponere huiuſmodi opinionem, quia remiſſa illa opinione deferueſcit ira, & ſedatur, hæc ſi penitus tollatur, deponitur huiuſmodi opinio, præſertim obliuione. Deinde ſi cogitatione abducamur, & aliò conuertamur, ſi perſuadeamus nobis non fuiſſe cõtemptum quem credebamus eſſe, ſi conſideremus amiciſſimos noſtros rectè ſentiendi iudices non iraſci, nec iudicare eſſe contumeliam. Denique ad tollendam contemptus opinionem confert præ cæteris ſubmiſſio, humilitas, manſuetudo, contemptus ſui, & bona æſtimatio alterius, ac ſimilia.

INTERVALLVM IV.

In quid virtus, quot eius genera, quod officium, mediocritas.

EX Ariſtotele lib. 7. Phyſicor. & lib. 8. Metaphyſic. virtus eſt perfectio quædam, ex eodem lib. 1. magnorum moralium cap. 5. virtus eſt habitus optimus, & lib. 7. cap. 18. eſt organum intellectus: ex c verò 13. 7. Ethiçor. eſt habitus cum recta ratione, quæ prudentia eſt, & lib. 1. Rhetor. cap. 37. eſt facultas paratrix & generatrix, & conſeruatrix bonorum, & facultas benefica multarum rerum & magnarum, & omnium in omnibus: ex diuo Thom. lect. 2. lib. 10. Ethicor. virtus eſt perfectio naturæ. & ex lect. 6. lib. 10. Metaphyſic. virtus eſt quæ facit bonum habentem.

Sunt autem duo virtutum genera ex Ariſtotele 2. Ethic. cap. 1. quædam enim ſunt virtutes mentis, vt ſapientia, intelligentia, ſcientia, &c. quædam verò Morales, vt fortitudo, liberalitas, prudentia, & cæteræ. Inter quas conſtituit hoc diſcrimen, quod virtutes mentis partim doctrina, partim experientia comparentur: Morales verò exercitatione, & conſuetudine: deinde, omiſſis virtutibus mentis ſeu intellectualibus, oſtendit morales comparari exercitatione & conſuetudine, & non eſſe nobis à natura inſitas primum à notatione nominis, quia dictæ ſunt ἠθικαὶ ἀπὸ τοῦ ἔθους mutato ε in η, id eſt morales à more, deinde quia quæ ſunt à natura non mutantur aſſuefactione, vt lapis num-

quam in ſublime ferri aſſueſcit, ne ſi millies in eum finem ſurſum proiiciatur: at fit mutatio ex virtutibus ad vitia, & contra: non negat tamen Ariſtoteles in hominum animis inſita eſſe veluti quædam ſemina, & elementa virtutum, id eſt homines ſua natura aptos eſſe ad virtutem, ſed conſuetudine perfici: deinde virtus ab eodem oritur à quo corrumpitur: atqui ex contrariis actionibus corrumpitur: igitur per ſimiles actiones producitur. Adde quod, quæ ſunt à natura doctore non opus eſt vt ſciantur quemadmodum docet experientia; igitur, ſi virtutes mentis eſſent à natura non eſſet opus præceptore, contra experientiam. Sequeretur etiam eodem modo in virtutibus moralibus conſuetudinem eſſe fruſtrà, quod item repugnat experientiæ. Virtutes igitur morales non à natura, ſed ex actionibus ſimilibus ortum habent, proinde magni refert educatio ab ineunte ætate natura, ſi ab adoleſcentia quis fuerit honeſtis actionibus aſſuefactus, virtutes ſibi faciliùs comparabit.

Porrò actiones virtutum conſeruatrices, vt his viri probi efficiamur debent eſſe rectæ rationi conſentaneæ: deinde debent conſiſtere in mediocritate: nam ſi actiones illæ, quæ mediocritatem excedunt, aut ab ea deficiunt adferunt interitum virtutibus & vitia producunt, moderatæ actiones virtutem efficient: actiones autem immoderatas virtuti eſſe contrarias patet à ſimili, quemadmodum enim ſanitas nimio cibo obruitur, & nimia etiam abſtinentia debilitatur, ita exceſſus, & defectus virtutem corrumpunt, moderatæ autem perficiunt.

Quæres fortè quo ſigno cognoſcere poſſimus quando aliquis conſequutus ſit habitum virtutis.

Reſpondeo cum Ariſtotele 2. Ethic. cap. 3. quando cum delectatione exercet illius actiones, vel ſaltem ſine dolore, & moleſtia. Quoniam, inquit, virtutes Morales verſantur circa voluptatem, & dolorẽ. Quod patet primò, quia homines plerumque blanditiis ad vitia impelluntur, & dolore à rectè factis auocantur: deinde virtus verſatur in eo quòd vitio tanquam medicina morbo adhibetur; cõtraria enim contrariis curantur, ſed vitio adhibetur dolor pœnæ tanquã medicina; ergo virtus verſatur in dolore, proindéq; etiam in voluptate, quoniam idem eſt habitus & facultas contrariorum. Tertiò, voluptas nobiſcum naſcitur, & eſt maximè naturalis, ideóque ei difficilè reſiſtitur; ergo virtute opus eſt ad tollendam iſtam difficultatem: præterea dirigimus actiones noſtras voluptate, & dolore, nam iis dediti ſumus quæ nos delectant, & ab iis abhorremus, quæ moleſta ſunt, ſed virtus Moralis in his verſatur, quibus actiones noſtras dirigimus; igitur. Denique omnis ars, & virtus verſatur circa difficilia: ſed ex ſentẽtia Heracliti difficilius eſt reſiſtere voluptati quàm iræ; igitur virtus circa voluptatem verſari debet: maior huius rationis debet intelligi de eo ſolùm quod in arte, & virtute perfectiſſimum eſt, quia intemperans poteſt etiam abſtinere à quibuſdam voluptatibus, ſed abſtinere à maximis ſolus temperans poteſt, aſſumptio eiuſdem rationis poſſet videri falſa, quia ira eſt ſimilis furori, & ab Ariſtotele 7. Ethicor. comparatur iracundus cum canibus, qui antè latrant, quàm aduerterint ſitne amicus, an non. Vt igitur intelligatur: obſeruabis nos quatuor de cauſis difficulter hoſti reſiſtere, vel quia potens eſt, vel quia cautus,

vel quia nactus opportunitatem, vel quia in impugnando aſſiduus; ſi primam ergo cauſam ſpectes difficilius eſt reſiſtere iræ quàm voluptati: ſin verò cæteras contrà iudicandum eſt; nam voluptas nos cautè adoritur, ſummámque habet opportunitatem, cùm nulla ſit actio humana, cum qua non ſit coniuncta, & in omni vita nos exercet.

Cæterùm vt actio ſtudioſa perfectè fiat, non ſufficit, vt fiat ſecundùm ea quæ Moralis Philoſophia præcipit, ſed neceſſe eſt, primò, vt qui agit ſciens agat non caſu, aut ignoranter. Secundò, vt volens, & non inuitus, aut aliquo cogente, ita tamen vt honeſtum habeat propoſitum, verbi gratia, non agat propter lucrum, aut vanam gloriam. Tertiò, vt conſtanter, qui enim iam modeſtè viuit, modò turpiter non cenſetur probus.

Genus virtutis eſt habitus, vt docet Ariſtoteles cap. 5. lib. 2. Ethicor. differentiam verò inquirit cap. 6. & 1. ſtatuit virtutis officium eſſe perficere habentem, & illius opus; dicitur autem opus hominis perfectum quando ad mediocritatem reuocatum fuerit, vnde ſequitur propriam virtutis differentiam eſſe vt in mediocritate conſiſtat: eſt autem duplex medium, vnum rei, alterum quo ad nos: medium rei eſt, quod æqualiter diſtat ab vtroque extremo, éſtque idem apud omnes, & vocatur medium Arithmeticum, ſeu ſecundùm proportionem Arithmeticam, qualis eſt ſenarius inter denarium, & binarium: nam ſicut quaternario ſuperat binarium, ſic quaternario ſuperatur à denario. Medium quoad nos, ſeu Geometricum dicitur quod non æquè diſtat ab vtroque, ſed quod eadem proportione cum vtroque extremo compa-

ratur habita ratione circumſtantiarum veluti ſenarius eſt medius inter quaternarium, & nouennarium, nam licet vtrinque non ſit idem exceſſus, eſt tamen vtrinque eadem proportio ſeſquialtera, nimirum quemadmodum ſenarius continet totum quaternarium & mediam eius partem, ſic nouēnarius continet totum ſenarium & mediam ipſius partem. Vnde concludit Ariſtoteles virtutem verſari in medio quoad nos, tum quia omnis ars cùm opus abſoluit, illud redigit ad medium, dicere enim ſolemus operi abſoluto nihil addi, & detrahi poſſe. Virtus autem eſt præſtantior, & certior arte, nam virtus eſt altera natura: quoniam oritur ex conſuetudine, quæ in natura dicitur mutari, natura autem præſtantior eſt arte cui propoſita eſt ad imitandum: certior item quia natura definita eſt ad vnum, ideóque ſuum finem plerumque aſſequitur; ars verò indefinita, quoniam ſequitur rationem ideóque ſæpè ſuo fine priuatur. Tùm quia quod difficillimum eſt virtuti conuenit, ſed tenere medium eſt difficillimum, & recedere à medio facillimum: quia ex Pythagoreorum ſentētia bonum ſit vno tantùm modo, malum autem propè infinitis modis; quemadmodum linea vno tantùm modo recta eſſe poteſt, obliqua autem multis, ergo virtus in mediocritate conſiſtit. Ex quibus colligit Ariſtoteles virtutis definitionem, vt ſit habitus electiuus conſiſtens in ea mediocritate quæ eſt ad nos ratione definita, vt prudens præſcripſerit: licet autem mediocritas conſiſtat in actionibus & affectionibus humanis, non debes tamen exiſtimare hoc in omnibus habere locum: docet enim Ariſtoteles multas eſſe actiones in quibus nulla medio-
critas

ritas cerni poteſt; cuiuſmodi ſunt adulterium, homicidium, furtum &c. multas item affectiones vt ſunt inuidia, & impudentia, quia natura ſua annexam ſecum habent prauitatem.

Tres ſunt hominis affectiones, quarum duæ ſunt vitioſæ exceſſus nimirum, & defectus, tertia verò ſtudioſa nempe virtus, quæ ſic inter ſe opponuntur, vt virtus comparata cum alterutro extremo vitioſo habeat rationem alterius extremi: maior autem eſt repugnantia inter duo extrema, quàm inter vnum extremum, & virtutem; Primò, quia maior eſt diſtantia extremorum inter ſe quàm à virtute media. Secundò, quia extrema nullam habent inter ſe ſimilitudinem, at virtus cum extremis habet aliquam; virtus tamen magis opponitur vni extremorum quàm alteri, interdum exceſſui, vt temperantiæ magis contraria eſt intemperantia quàm ſtupiditas: interdum verò contra magis defectui, vt fortitudini magis opponitur ignauia, quàm audacia; idque patet primò ex rei natura, quòd ſcilicet contrarietas naſcatur ex diſſimilitudine, & ſemper vnum extremum vitioſum eſt virtuti ſimilius; ſecundò ex nobis, quòd vt plurimum ſimus natura propenſiores ad alterum vitiorum, quod magis repugnat mediæ virtuti, quia ad illud extirpandum maior labor eſt adhibendus.

Porrò magna cum difficultate reperiri poteſt mediocritas, in qua virtus conſiſtit, ſicut difficile eſt inuenire medium cuiuſque rei putà centrum in circulo; vt enim non eſt cuiuſque inuenire centrum circuli, ſed ſolius periti, & inſtructi Geometricis præceptis: ſic mediocritas rationis

facilè inueniri non poteſt, niſi ab eo qui moralibus præceptis fuerit informatus. Naſcitur autem hæc difficultas, tùm ex multitudine circunſtantiarum, quæ ſimul concurrunt, tùm ex affectuum deprauatione quâ menti diffunduntur tenebræ tam denſæ, vt vix ac ne vix quidem quod rectum ſit cognoſcat.

Ariſtoteles tres præceptiones tradit ad faciliùs indagandam mediocritatem accommodatas; Prima eſt, vt diſcedamus ab eo extremo quod virtuti magis repugnat, ſic enim vel mediocritatem inueniemus, vel certè minus malum amplectemur, ſi fortè in alterum malum incidamus. Secunda, vt cognito eo extremo vitioſo, ad quod ſe quiſque natura propenſiorem aduertit, abducat ſe in contrariam partem: ſic enim tandem mediocritatem conſequetur; quemadmodum virga contorta in rectum dirigetur, ſi in contrariam partem omninò inflectatur. Tertia eſt, vt fugiamus in rebus omnibus voluptatē, quæ oculos quaſi excæcat, efficítque, vt non rectè de rebus ipſis iudiciumferamus.

Areola Stvdiosa.

De fortitudine, quid, quæ ſpecies.

Fortitudo ex Ariſtotele lib. 1. Rhetor. eſt virtus per quam res honeſtas homines in periculis ſuſcipiunt, & vt lex præcipit gerunt; cui non eſt abſimilis illa Chryſippi Tuſcul. 4. Fortitudo eſt ſcientia perferendarum rerum, vel animi affectio in perferendo ſummæ legi parens, appello autem ſummam legem, lucem à natura ſingulis conceſſam, quæ monſtrat quid in quaque re vitioſum ſit, aut laudabile, de qua Pſaltes, Signatum eſt

ſuper nos lumen vultus tui, vel poſſumus intelligeré legem, iudicium naturale in rebus arduis perferendis, quò omnes mentis errores curantur; Fortitudo Græcis dicitur *ἀνδρεία*, etymologia ab homine ducta, vt habent Cicero & Ariſtoteles, quia præ cæteris virtutibus, quæ homini ornamento eſſe ſolent, naturam decet & illuſtrat humanam; debet eſſe ſummæ legi coniuncta, quia iuſtitiã ſequi decet in omnibus, ducem, ex quo fit, vt qui pro ſuis commodis pugnat, ſi Iuſtitia vacet ſit in vitio; quemadmodum & qui in ferenda, non autem propulſanda iniuria ſtrenuè dimicat, vt habet idem Cicero; eam ob rem, inquit, præclarè definitur à Stoicis, cùm virtutem eam eſſe dicunt propugnantem pro æquitate.

Eſt autem fortitudo mediocritas inter ignauiam & audaciam, verſatúrque maximè circa pericula mortis, quæ ab Ariſtotele dicitur terribilium omnium maximè terribilis: non verſatur tamen circa omnem mortem; ſed tantùm circa eam, quæ eſt in bello, non circa eam, quæ ex morbo, paupertate, aut maris tempeſtatibus conſequitur, quia huic non ſunt propoſita præmia, ſed illi tantùm vtpote quæ pro Reipublicæ defenſione, aut alia cauſa honeſta ſuſcipiatur.

Munus viri fortis eſt fortiter ſe gerere circa terribilia, quorum duo ſunt genera: alia enim ſuperãt vires humanas, & vitari nõ poſſunt, vt terræ motus, incendia, inundationes: alia verò, quæ viribus humanis ſuperari poſſunt, & vir fortis debet vtraque formidare, ſed moderatè, quando oportet, & quoniam decet, qui autem non om-

nes circunſtantias ſeruat, incidit in vitia fortitudini contraria, vt qui per exceſſum nihil timent dicuntur inſani, quòd ſi aliquid formident non tamen ſatis vocantur audaces, qui verò per defectum peccant nimium timentes, timidi & ignaui nominantur; non eſt viri fortis violentas ſibi manus afferre, vt paupertatem, vel aliquam aliam moleſtiam fugiat, cùm id ſit potiùs hominis puſilli & ignaui.

Suntquinque ſpecies apparentis & impropriè dictæ fortitudinis, quæ cum vera fortitudine aliquam habent ſimilitudinem. Prima dicitur ciuilis eorum ſcilicet, qui excitantur ad ſubeunda pericula, vt pœnas vel ignominias fugiant, aut honores conſequantur. Secunda militaris, quando aliqui propter longam experientiam pericula minùs pertimeſcunt, eáque adoriuntur, vt veterani milites in bello, vel etiam nautæ in mari. Tertia iracundiæ, quando aliqui ira incitati pericula adeunt, eáque negligunt modò illatam iniuriam vlciſcantur. Quarta propter ſpem, quando aliqui ſpe victoriæ videntur fortes, ſed illa vbi deficit ſunt timidi. Quinta ignorantiæ eorum ſcilicet, qui cùm pericula experti non ſunt, ea negligunt, ac facilè adeunt initio quidem intrepidè, ſed eis perſpectis ſtatim deſperant, in quos quadrat illud; dulce bellum inexpertis.

Tres ſunt veræ fortitudinis proprietates; Prima vt magis verſetur in metu, quàm audacia, quoniam difficilius eſt illi adhibere modum, quàm huic: at virtus verſatur in difficilioribus. Secunda vt magis verſetur in cohibendo dolore de malo præſenti, quàm abſenti propter eandem

cauſam. Tertia eſt, fortitudini annexam eſſe aliquam moleſtiam, neque tamen propterea vituperandus eſt fortis, quia illam perfert propter honeſtatem; adde quòd adiuncta eſt iucunditas, quæ ſemper virtutem conſequitur.

De Temperantia.

Temperantia eſt virtus, cuius opera homines ita voluptates corporis moderantur, vt lex iubet cuius ſic definitæ partes recenſentur, abſtinentia, ſobrietas, pudicitia, caſtitas, virginitas propter operam, & laborem in moderandis cupiditatibus circa vſum earum rerum, quæ ventri, gutturi, & eiuſmodi gratæ eſſe ſolent; verſatur enim temperantia circa voluptates, non quidem animi, ſed corporis, nec adhuc circa omnes, cùm enim quædam propria delectatio comitetur, & ſequatur actiones ſingulorũ ſenſuum externorũ, temperantia tantùm per ſe verſatur circa voluptates guſtus & tactus, per accidens autem circa alias, quatenus ſcilicet his homines prouocantur ad turpes voluptates, vt aſpectu ad libidinem; Vnde Pericles Sophoclem caſtigauit, qui prætereuntis cuiuſdam pueri formam demirabatur: & Cicero in Maniliana dixit, Senatoris manus non tantùm à pecunia, ſed oculos quoque à libidinoſo aſpectu abeſſe oportere: ſic nidore carnium ad gulam prouocantur; quòd ſi roges in quibus potiſſimum voluptatibus temperantia verſetur, reſpondet Ariſtoteles 3. Ethicor. cap 10. verſari præcipuè in voluptatibus tactus, quoniam ſunt vehementiores, & magis delectant; vnde Philoxenus quidam Elixius cùm epularum voluptate duceretur, optabat ſibi dari guttur longius

collo gruis, vt tactu ciborum & potus maiorem caperet voluptatem, ex quibus infert Ariſtoteles intemperantiam eſſe turpiſſimam, quia verſatur circa turpiſſimas voluptates, quæ nobis inſunt, non quatenus homines ſumus, ſed quatenus animalia: non verſatur tamen temperantia circa omnes voluptates tactus, ſunt enim quædã liberales & honeſtæ, ſed in iis tantùm quæ certâ corporis parte percipiuntur.

Vt autem faciliùs exponamus munus temperantiæ & extremorum, diſtinguendæ ſunt voluptates guſtus & tactus in communes, ſeu naturales, cuiuſmodi ſunt eæ quæ in appetitu naturali ipſius cibi conſiſtunt, vt fames & ſitis, & in proprias quæ variæ ſunt, & frequenter oriuntur ex varia corporis conſtitutione: temperantia ergo non verſatur propriè circa communes, quia in his tantùm contingit peccatum vno modo, ſcilicet ratione exceſsus, cùm quis ſe plus æquo cibo & potu farcit, ſed circa proprias ſolùm quæ variis modis contingunt, & plures in eis peccant, nempe ratione modi, loci, temporis, & cæterarum circumſtantiarum: verſatur etiam temperantia circa dolorem, ſicut & fortitudo, ſed diuersâ ratione; fortis enim moderatè fert magnos dolores circa pericula mortis, temperans autem cum æquo animo perfert abſentiam voluptatum. Xenophon ſentiebat in homine nullum malum ineſse poſse qui temperantiæ (quàm iuſtitiæ ac æquitatis vocabat adminiſtram) operam daret: tandem idcirco extremum temperantiæ in defectu nomine caret, quia pauci peccant contra temperantiam ratione defectus: denique Ariſtoteles

6. Ethicorum capite quinto docet temperantiam appellari à Græcis σωφροσύνην, vtpote prudentiam conſeruantem: intemperantia verò dicitur ἀκολασία, id eſt, caſtigationis vacuitas; intemperans verò dicitur ἀκόλαστος, id eſt, non caſtigatus, quod nomen ex Ariſtotele ad puerorum delicta ab intemperantia traductum eſt; vt videlicet intelligamus cupiditates quæ nos intemperantes reddunt, rectâ ratione ita reprimendas eſse, quemadmodum puerorum mores præceptorum monitis & obiurgationibus.

De Liberalitate.

Liberalitas eſt virtus animæ honeſtorum ſumptuum miniſtra, vt docet Ariſtoteles in libello de virtutibus; verſatur liberalitas circa pecunias, tunc enim laudatur liberalis, cùm in pecuniis moderationem ſeruat, pecuniæ autem nomine intelligendæ ſunt res quæ pretio æſtimantur. Duo ſunt liberalitatis munera, dare ſcilicet pecunias quibus dandæ ſunt, & accipere ab aliis: prius tamen eſt nobilius, tum quia pecuniarum vſus præſtantior eſt earum poſſeſſione, tum quia dare eſt magis virtuti conueniens quàm accipere, tum quia honeſtius eſt, & maiorem laudem meretur, tum quia difficilius: virtus enim verſatur in arduo: tum quia aliquis magis denominatur liberalis dando, quàm accipiendo: proprium liberalis eſt, vt libenter ſumptus faciat ſeruato decoro: deinde in accipiendo cauendum, ne accipiat à quibus, & quando non oportet; nec oſtendat ſe propenſum eſſe ad accipiendum. vnde colligi poſſunt hæ liberalis proprietates: prima eſt eum

procliuem eſſe ad dandum, ita vt pauciora, & deteriora ſibi reſeruet; Secunda, ponderandam eſſe liberalitatem ex facultatibus; Tertia, liberaliores ſunt, qui diuitias ab aliis acceperunt, quàm qui ſuo ſibi labore compararunt, quia non ſunt experti, quàm graue ſit malum egeſtatis; Quarta, liberales rarò ſunt diuites, quia largiuntur multùm, & parùm accipiunt; Quinta, liberalis eſt parcus in indignos: quòd ſi contigerit aliquando eum profudiſſe pecunias, profuſionem iſtam moderatè feret, moleſtiùs feret ſe ſumptus non feciſſe, quos debuit; quàm doleat ſe in eas res quas non decuit pecunias effudiſſe.

Liberalitatis extrema ſunt auaritia, & prodigalitas; vtraque exceſſum & defectum ſimul includit, ſed diſpari ratione: prodigus enim in dando exuperat, & in capiendo deficit; auarus contrà, accipiendo excedit, & dando deficit: deterior eſt auaritia, prodigalitate; Primò, quia prodigus faciliùs reuocatur ad mediocritatem, vel per ætatem, vel per egeſtatem, quàm auarus; Secundò, quia prodigus magis imitatur liberalem in dando, quàm auarum; Tertiò, quia prodigus multis prodeſt, auarus autem ne ſibi quidem ipſi; Vnde Ariſtoteles capite primo libri quarti Ethicorum, docet auaritiam eſſe malum inſanabile, quia quò magis ad ſenectutem accedit, auarus eò deterior efficitur: deinde auaritia eſt origo omnium malorum.

De Magnificentia.

Magnificentia eſt virtus, quæ magnitudinem in ſumptibus adhibet, authore Ariſtote-

le libro primo Rhetoricorum: verſatur circa pecunias, & circa res omnes, quæ pretio æſtimantur; Differt tamen à liberalitate: Primò, quia licet vtraque verſetur circa pecunias, magnificentia tamen verſatur ſolùm largiendo, liberalitas etiam accipiendo; Secundò, quia illa tantùm in magnis ſumptibus conſiſtit, hæc in paruis, & mediocribus; Tertiò, quia liberalitas quodammodo continetur in magnificentia non è contra; non enim conceſſum eſt omnibus exercere magnificentiam, quibus liberalitatem. Extrema magnificentiæ ſunt luxus, ſeu inepta profuſio in exceſſu, & ſordida parcimonia in defectu. Proprietates magnifici ſunt; Prima, quòd ſciat ſeruare decorum in ſumptibus faciendis, & an illis reſpondeant facultates; Secunda, facit ſumptus honeſtatis cauſa; Tertia, libenter; Quarta, amplè; Quinta ſplendidè: magnificus enim æquali ſumptu opus faciet ſplendidius, quàm liberalis. Tria ſunt rerum genera, in quibus apparere ſolent ſumptus magnifici; ſunt enim res quædam ad religionem pertinentes, vt templa, quædam publicæ, vt quæ in Rempublicam conferuntur; aliæ denique priuatæ vt ſumptus, qui fiunt in domibus conſtruendis, in nuptiis, in legationibus obeundis.

De Magnanimitate.

Magnanimitas eſt virtus animæ, per quam ferre poſſunt homines vtramque fortunam, honorem & ignominiam, vt vult Ariſtoteles libro de virtutibus, vel eſt mediocritas circa honorem & ignominiam, vt idem docet capite ſeptimo libri ſecundi Ethicorum, verſatur in

procliuem eſſe ad dandum, ita vt pauciora, & deteriora ſibi reſeruet; Secunda, ponderandam eſſe liberalitatem ex facultatibus; Tertia, liberaliores ſunt, qui diuitias ab aliis acceperunt, quàm qui ſuo ſibi labore compararunt, quia non ſunt experti, quàm graue ſit malum egeſtatis; Quarta, liberales rarò ſunt diuites, quia largiuntur multùm, & parùm accipiunt; Quinta, liberalis eſt parcus in indignos: quòd ſi contigerit aliquando eum profudiſſe pecunias, profuſionem iſtam moderatè feret, moleſtiùs feret ſe ſumptus non feciſſe, quos debuit, quàm doleat ſe in eas res quas non decuit pecunias effudiſſe.

Liberalitatis extrema ſunt auaritia, & prodigalitas; vtraque exceſſum & defectum ſimul includit, ſed diſpari ratione: prodigus enim in dando exuperat, & in capiendo deficit; auarus contrà, accipiendo excedit, & dando deficit: deterior eſt auaritia, prodigalitate; Primò, quia prodigus faciliùs reuocatur ad mediocritatem, vel per ætatem, vel per egeſtatem, quàm auarus; Secundò, quia prodigus magis imitatur liberalem in dando, quàm auarum; Tertiò, quia prodigus multis prodeſt, auarus autem ne ſibi quidem ipſi; Vnde Ariſtoteles capite primo libri quarti Ethicorum, docet auaritiam eſſe malum inſanabile, quia quò magis ad ſenectutem accedit, auarus eò deterior efficitur: deinde auaritia eſt origo omnium malorum.

De Magnificentia.

Magnificentia eſt virtus, quæ magnitudinem in ſumptibus adhibet, authore Ariſtote-

le libro primo Rhetoricorum : verſatur circa pecunias, & circa res omnes, quæ pretio æſtimantur; Differt tamen à liberalitate : Primò, quia licet vtraque verſetur circa pecunias, magnificentia tamen verſatur ſolùm largiendo, liberalitas etiam accipiendo; Secundò, quia illa tantùm in magnis ſumptibus conſiſtit, hæc in paruis, & mediocribus; Tertiò, quia liberalitas quodammodo continetur in magnificentia non è contra; non enim conceſſum eſt omnibus exercere magnificentiam, quibus liberalitatem. Extrema magnificentiæ ſunt luxus, ſeu inepta profuſio in exceſſu, & ſordida parcimonia in defectu. Proprietates magnifici ſunt; Prima, quòd ſciat ſeruare decorum in ſumptibus faciendis, & an illis reſpondeant facultates; Secunda, facit ſumptus honeſtatis cauſa; Tertia, libenter; Quarta, amplè; Quinta ſplendidè : magnificus enim æquali ſumptu opus faciet ſplendidius, quàm liberalis. Tria ſunt rerum genera, in quibus apparere ſolent ſumptus magnifici; ſunt enim res quædam ad religionem pertinentes, vt templa, quædam publicæ, vt quæ in Rempublicam conferuntur; aliæ denique priuatæ vt ſumptus, qui fiunt in domibus conſtruendis, in nuptiis, in legationibus obeundis.

De Magnanimitate.

Magnanimitas eſt virtus animæ, per quam ferre poſſunt homines vtramque fortunam, honorem & ignominiam, vt vult Ariſtoteles libro de virtutibus, vel eſt mediocritas circa honorem & ignominiam, vt idem docet capite ſeptimo libri ſecundi Ethicorum, verſatur in

magnis honoribus, in quibus appetendis mediocritatem conſtituit; circa quos ita ſe gerere debet magnanimus, vt eos magnifaciat & acceptet, qui virtuti tribui ſolent; eos autem negligat, & reiiciat qui exhiberi ſolent à plebeis diuitiarum, aut rerum externarum cauſa. Hæ autem ſunt magnanimi proprietates præcipuæ; Prima, promptior eſſe debet, vt beneficium conferat, quàm vt accipiat; Secunda, commemorare ſolet beneficia à ſe in alios collata, non autem accepta, quod tamen fieri debet ſine vitio exprobrationis; Tertia, non admiratur alia tanquam magna; Quarta, cunctator omnino eſt niſi, aut magnus honor offeratur, aut magna res agatur; Quinta, apertè amat, aut odit; Sexta, veritatem non mendacium ſectatur; Septima, non eſt memor illatæ iniuriæ; Octaua, rarò de ſe & aliis loquitur, rarò etiam laudat, & vituperat; Nona, non eſt anxius de rebus minimis, & res præclaras, licet ſine commodo vtilibus anteponit; Decima, magnanimi motus tardus eſt, vox grauis, & loquutio tarda. Extrema vitioſa magnitudinis ſunt, elatio animi in exceſſu, & puſillanimitas in defectu; puſillanimitas magis repugnat magnanimitati, quàm elatio, ambo tamen ſunt magis coniuncta cum errore, quàm cum malo, quandoquidem neutrum alteri proximo nocet.

De Modeſtia.

Modeſtia eſt virtus, quæ paruis honoribus modum adhibet, vnde diſtinguitur à magnanimitate, quæ inclinat voluntatem, ad ſeruandam mediocritatem in magnis honoribus; deinde mode-

ſtia habet diuerſa extrema, nempe ambitionem in exceſſu, & honoris vacuitatem in defectu.

De Manſuetudine.

Manſuetudo, ſeu clementia eſt virtus, quæ verſatur in ira domanda; manſueti eſt iraſci quando, & vbi oportet, extrema illius ſunt iracundia excedens, & vacuitas iræ, deficiens, quæ à Cicerone dicitur lentitudo. Differt autem iracundia ab ira, quòd hæc ſit affectio ſeu paſſio, illa habitus inclinans ad nimis iraſcendum; cæterùm vacuitas iræ vituperanda eſt, quoniam, qui nunquam iraſcitur, videtur carere ſenſu, quod abhorret à natura animalis, iracundiæ verò munus eſt iraſci, quando, & vbi non oportet; Sunt autem iracundiæ tres ſpecies: nam reperiuntur quidam, qui citò iraſcuntur, & citò placantur; cuius rei cauſa eſt, quia in illis abundat flaua bilis, quæ cùm ſit ſubtilis, & calida, citò concipit iram, & citò diſſoluitur: alij ſunt qui non citò iraſcuntur; ſed diu retinent iram, difficultérque placantur, quia exterius non prodit, & progreſſu temporis tantùm diſſoluitur, præſertim ſi ſumpta fuerit vltio; cuius rei cauſa eſt, quia in illis mixta eſt flaua bilis atræ bili, quæ cùm ſit craſſa, poſtquàm ira ſemel accenſa fuit, non citò diſſoluitur; denique ſunt alij, qui poſtquàm ſemel irati ſunt, nunquam placantur, niſi pœnas ſumpſerint; quæ poſtrema ſpecies eſt omnium deterrima; Vocantur autem hæ ſpecies ſimplicibus nominibus excandeſcentia, acerbitas, & amaritudo; porrò ex Ariſtotele libro de Virtutibus, manſuetudinis eſt, poſſe ferre moderatè obiecta crimina, & contemptus, nec celeriter rapi in vltiones, nec

eſſe de ſe facilè mobilis ad iram, eſſe verò moribus mitem & ingenio quieto ac ſtabili.

De Affabilitate.

Affabilitas ſeu comitas, eſt virtus quæ verſatur in moderatione quarumdam actionum externarum; cùm autem homo ſit animal politicum, & ciuile ad ſocietates nimirum obeundas, à natura accepit ſermonem, cui moderando neceſſaria fuit aliqua virtus, ne nimirum aliis placere, aut blandiri ſtuderet, vel omnino aliis repugnaret; qui igitur affabilis eſt, id propoſitum habet tam in verbis, quàm in factis, vt nemini moleſtiam exhibeat, prout dictat recta ratio: verſatur autem circa cupiditatem, quâ expetimus aliis placere in actionibus externis, putà in ſermone, & actione corporis; In ſermone duo ſpectantur, ſeria, & iocoſa: in ſeriis cauendum eſt, ne aliis moleſti ſimus, néue quenquam fallamus; primum, affabilitate; ſecundum, veracitate conſequimur, in iocis verò egemus alia virtute, nempe feſtiuitate, de quibus infrà, extrema affabilitatis ſunt in exceſſu quidem aſſentatio, in defectu verò contentio, ſeu moroſitas, cùm enim affabilis ſeruet mediocritatem, licet præcipuè in id incumbat, vt omnibus gratus ſit, cùm tamen ratio poſtulabit, non dubitabit afferre moleſtiã, vel reprehendẽdo, vel puniendo; igitur qui omnibus in rebus aliis placere ſtudet, vt nec loquatur, nec quicquam faciat, niſi, quæ putat aliis fore voluptati, is modum excedit; quòd ſi id faciat lucri cauſa dicetur aſſentator, ſin autem vt delectet paraſitus: at qui omnibus in rebus aliis eſt moleſtus deficit à medio, & contentioſus, ſeu moroſus appellatur.

De Veritate.

Veritas ſeu veracitas eſt virtus, quæ adhibet modum motibus, & geſtibus corporis, ſiue verba ſint, ſiue facta; verax enim ſeu veridicus eſt, qui nec plus, nec minùs ſibi attribuit, quàm quæ inſunt. Eius extrema vitioſa ſunt duo arrogantia ſeu iactantia, & diſſimulatio: arrogans dicitur qui falſis verbis ſe extollit, ſeu qui ſibi attribuit quæ non habet: diſſimulator verò qui pauciora de ſe dicit, quàm quæ inſunt. Obſerua tamen duplicem eſſe diſſimulationem; vnam cùm tacemus res præclaras, quæ ſunt in nobis & proferimus viles, quarum conſcij ſumus, quæ virtuti non repugnat, quia nullum eſt ibi mendacium, & potiùs ad humilitatem ſpectat; ſolet enim verax, & humilis, modeſtiæ cauſa id facere: alteram cùm negamus res bonas, quæ ſunt in nobis, & attribuimus nobis res malas, quæ in nobis non ſunt, & hæc virtuti repugnat, quia includit mendacium, [illegible]e vtrumque extremum continetur ſub mendacio quod directè veritati opponitur: eſt autem mentiri falſum dicere cum animo fallendi; duo enim habet mendacium vnum loco materiæ, nempe quod dicitur ſiue id ſit verum ſiue falſum, alterum loco formæ nempe dici animo fallendi ſeu contra animi ſenſum: itaque ſi quis proferat falſum, & putet eſſe verum, nec velit decipere, non mentietur. Cæterùm mendacium aliud eſt officioſum, quod profertur ad vtilitatem, aliud iocoſum iocandi ſcilicet cauſa; aliud pernicioſum, quod ad damnum alterius refertur, quæ di-

uiſio petitur ex fine mendacij : ex natura autem diuiditur in arrogantiam & diſſimulationem.

De Feſtiuitate.

Feſtiuitas, ſeu vrbanitas eſt virtus moralis, quæ modum adhibet ludo, & iocis; iocus autem, & ludus ſic differunt, quod ille in verbis ſpectetur, hic in factis; iocamur enim verbis, ludimus autem pila, troco, & cæteris, quibus duobus teſte Tullio tanquam quiete vti debemus : Eſt enim iocus ex cap. 7. lib. 7. Ethicor. animi quies, & relaxatio; quiete verò vtimur non per ſe, ſed propter actionem vt recreato animo & reſumptis viribus maiori poſtea ſtudio agamus; feſtiuitas ergo modum illis adhibet, cuius extrema vitioſa ſunt quędam, ſicut & reliquarum virtutum. Exceſſus duobus modis accidere poteſt, vel vt nulla habita ratione temporis, & loci facetiis aliquis vtatur, vel ſi iocandi gratia proferat verba obſcœna & contumelioſa : ad defectum ſpectat nolle vnquam ludere; cùm enim vires noſtræ ſint finitæ, nec perpetua animi contentione poſſimus in ſeria opera ſemper incumbere, ratio poſtulat, vt interdum aut lepidis verbis, aut aliquo honeſto ludo nos recreemus, vt poſtea maiori ſtudio ad eadem ſeria negotia redeamus. Porrò in iocis tria cauenda ſunt; Primum, ne admiſceantur verba obſcœna, quod præcipit Cicero libro primo de officiis. Vnum, inquit, iocandi genus eſt periculoſum, ſi rerum turpitudini addatur verborum obſcœnitas; Secundum, ne prorſus grauitas amittatur : vnde Tullius ibidem, Vt, inquit, pueris, non damus omnem ludendi licentiam, ſed eam, quæ ab honeſtate non recedit; ſic in ipſo ludo

ſemper aliquod probi ingenij lumen eluceat; Tertium, eſt vt ioci ſint accommodati, loco, tempori, & perſonæ, quod pendet ex recta ratione, quæ præcipit vt nihil fiat cuius probabilis & honeſta ratio reddi non poſſit.

De Iuſtitia.

Iuſtitia eſt habitus animi quo ſumus apti ad iuſtas actiones exercendas, volumúſque iuſtè agere, & agimus. Iniuſtitia contra qua iniuriam facimus, & ad res iniuſtas iniquáſque impellimur: eſt autem duplex iuſtitia legalis quæ omnia continet, quæ cum legibus conſentiunt; vnde legalis, ſeu legitima dicta eſt: cùm verò leges præcipiant officia omnium virtutum, conſequitur iuſtitiam legalem ſeu vniuerſalem virtutes omnes ſuo ambitu complecti: ſpecialis verò diuiditur in diſtributiuam & commutatiuam; diſtributiua verſatur in honoribus vel pecuniis diſtribuendis; commutatiua verò in tranſlatione dominij rerum, quæ quidem tranſlatio duobus modis fieri poteſt; Primo voluntariè conſentientibus ſcilicet dante, & accipiente, cuius generis variè ſunt ſpecies, vt emptio, venditio, ſponſio, locatio, depoſitio, conductio; Secundo inuoluntariè, conſentiente nimirum tantùm altero, qui poſterior modus etiam ſubdiuiditur; vel enim fit ita vt iſta dominij tranſlatio fiat clam vt furtum, vel palam, vt rapinæ, verbera, & cætera id genus. Iuſtitia diſtributiua verſatur in medio, nempe æquitate cuius extrema ſunt plus & minus. Hoc autem medium poſitum eſt in proportione, quia æquum eſt aliquid reſpectiuum, ac proinde in

duobus ad minimum reperitur: quia verò illud tribuitur quibuſdam fit vt illa proportio in quatuor terminis ad minimum conſiſtat, ſcilicet duabus rebus, & duabus perſonis, licet fieri poſſit interdum, vt vnus terminorum pro duobus vſurpetur, ſed illud per accidens eueniet: ita ergo ius diſtributiuum ſeruabitur, ſi perſonarum & meritorum habeatur ratio, vt nimirum vnicuique tantum tribuatur, quantum eius dignitas poſtulat; hanc autem dignitatis æſtimationem diſtinguit Ariſtoteles ex diuerſo Reipublicæ ſtatu Democratico, Oligarchico, & Ariſtocratico: in primo enim dignitas libertate æſtimatur; in ſecundo diuitiis, & nobilitate; in tertio virtute: deinde vt oſtendat talem proportionem eſſe Geometricam, definit proportionem eſſe ſimilitudinem ratiocinationum, id eſt, proportionum, quæ in quatuor terminis reperitur: ita vt hoc loco proportio idem ſignificet atque apud alios proportionalitas, nimirum ſimilitudinem rationum, porrò diuidit proportionalitatem bipartito, vna ſiquidem dicitur diſiuncta, in qua ſunt expreſſi quatuor termini ſeparatim, ita vt nullus repetatur, verbi gratia, ſicut ſe habent duodecim ad ſex, ita 8. ad 4. altera coniuncta, in qua vnus terminus bis repetitur, vt ſicut ſe habent 12. ad ſex, ita ſex ad tria: eſt enim vtrobique dupla proportio, vbi notabis hanc diuiſionem eſſe ſolius proportionis Geometricæ, quæ conſiſtit in ſimili ratione quantitatum, non autem Arithmeticæ, quæ conſiſtit in æquali exceſſu earundem, cùm itaque iuſtitia diſtribuens verſetur in diſtribuendis rebus

pro

pro dignitate perſonarum,& meritorum: perſonæ verò aliæ aliis ſint digniores & merita alia aliis maiora, ſequitur eius proportionem eſſe Geometricam, non Arithmeticam; cúmque fieri non poſſit, vt perſona cum re, quæ diſtribuitur coincidat, fit vt illa proportio non ſit coniuncta, ſed diſiuncta; in qua ſint duæ res, & duæ perſonæ; ita vt debita inter eas ſeruetur proportio; exempli gratia, ſint duæ perſonæ dux vt duodecim, gregarius miles, vt ſex, duæ item res vel præmia vnum vt octo, alterum vt quatuor, ſeruabitur ius ſi prius duci, poſterius militi tribuatur; vtrobique enim eſt dupla proportio. Violatur autem ius diſtributiuum, quando non ſeruatur illa proportio, vt ſi quis velit tantum tribuere gregario militi, quantum duci: nam ſicuti vna perſona aliam ſuperat dignitate, ita res quæ perſonæ digniori tribuitur, debet ſuperare, rem quæ indigniori confertur; ſi verò pares ſint perſonæ, paria etiam præmia eſſe debent. Diſtinguitur autem commutatiua Iuſtitia à diſtribuente, quòd in hac perſonarum ratio habeatur, & rerum, quæ perſonis diſtribuendæ ſunt, ita vt debeat eſſe par ratio præmij, & meriti, pœnæ & delicti, in commutatiua autem res præcipuè, & per ſe ſpectentur, perſonæ verò per accidens: ſicque licet vtriuſque Iuſtitiæ ſit idem medium nempe æquitas, illud tamen alio modo in commutatiua, alio in diſtributiua cernitur: in hac videlicet ſecũdum proportionem Geometricã, in illa verò ſecũdum Arithmeticã. Id declarat Ariſtoteles exemplo Iudicis ad quem tanquam ad Ius animatum, & legem loquentem confu-

giunt litigantes, quem rogant, vt perſonarum ra-tionem non habeat; hoc enim in Iudice maxima reprehenſione dignum eſt: rogant etiam eun-dem, vt damnum, & lucrum ad æquitatem re-ducat, & quod malè diuiſum erat commutet. Ideo Iudex à nonnullis Græcè appellatur *μεσό-δικος*, quaſi mediator. Iuſtitia verò ſeu ius *δίκαιον ἀπὸ τῆς δίκης*, id eſt, ab eo quod eſt bipartito di-uiſum. Aliquis autem dicetur iuſtus, vel iniu-ſtus cùm aget ſua ſponte; tunc enim laudatur vel vituperatur; quòd ſi nolens agat, fieri qui-dem poterit, vt agat rem iuſtam, vel iniuſtam, Iuſtus tamen vel iniuſtus non erit; velut ſi quis reddat depoſitum non ſponte, ſed metu, vel coa-ctè non aget iuſtè vel iniuſtè niſi per accidens, quia ſcilicet accidit id, quod agitur eſſe iuſtum, vel iniuſtum. Quoniam autem pluribus modis agere poſſumus nempe conſultò quando præ-ceſſit conſultatio, aut non conſultò, quando non præceſſit: dubium eſt vtro modo agendum ſit, vt aliquis dicatur iuſtus, vel iniuſtus: Cùm autem tribus modis contingat nocumentum al-teri inferri; Primo, non ſcienter; Secundo, ſcien-ter quidem, ſed ſine deliberatione; Tertio, ſcien-ter, & cum deliberatione; ſi quis inſcienter alium læſerit non erit iniuſtus, quamquam ſi multum læſerit cùm putaret ſe parum læſurum, non erit ſine culpa; licet enim percuſſerit ſine dolo, po-terat tamen eum non percutere; ſed ſi læſio acci-dat omnino præter deliberationé dicetur infor-tunium vel caſus; ſin verò ſcienter quidem læ-dat, ſed abſque deliberatione iniuriam quidem ille facit, non tamen ob id iniuſtus nominabitur,

quia ſine dolo fecit, quo in genere ſunt omnes actiones, quæ ab iis cõmittuntur, qui aliqua perturbatione turbati ſunt. Denique ſi ſcienter, & cum deliberatione nocuerit, iniuſtus iudicabitur. Eorum verò quæ iniuſtè fiunt quædam veniam merentur, vt quæ fiunt per imprudentiam, vel ignorantiam, quæ ſunt cauſa cur fiant; ita vt ſi abeſſent illa non fierent; alia verò non merentur, vt quæ fiunt ab iis, qui voluptate aut ebrietate detinentur. Eſt igitur iniuſtus qui certo animi iudicio, & conſilio, non autem ex ignoratione, aut aliqua animi perturbatione alteri intulit iniuriam, vel vt docet Ariſtoteles c.1. lib.5. Ethic. is iniuſtus dicitur; Primò, qui leges violat; Secũdò, qui ſibi plus tribuit bonorum (intellige fortunæ) quàm malorum, quem Ariſtoteles appellat cupidum plus habendi. Porrò iuſtitia non eſt poſita in mediocritate ſicut cæteræ virtutes morales, quarum duo ſunt extrema vitioſa reipſa diſtincta, & ex diuerſis, ac contrariis actionibus nata; Iuſtitię enim vnicum duntaxat vitium nempe iniuſtitia aduerſatur, ratione tamen duo ſcilicet plus, & minus, quàm æquitas patiatur.

Obiectum Iuſtitiæ eſt ius, quod eſt triplex, nempe politicum, ſeu ciuile, deſpoticum, ſeu dominicum, aut herile, & œconomicum & paternum. Ius ciuile eſt quod conſiſtit inter ſocios æquales natura, vel inſtituto, id eſt, inter homines eiuſdem ciuitatis, quorum vnus non ſubiicitur alteri, neque iure naturali, vt filius patri, neque iure dominico, vt ſeruus domino: ratio eſt, quia inter eos duntaxat ius ciuile eſſe poteſt inter quos eſt legis communitas, at communitas

legis eſt tantum inter eos inter quos iniuſtitia eſſe poteſt, nempe inter quos poteſt eſſe iniuria, ſed non eſt iniuſtitia inter dominum & ſeruum, cùm hic illi ſubiiciatur, & ab eodem coerceatur, neque inter patrem & filium, quia hic, quandiu non eſt emancipatus, ſubiicitur patri. Cæterùm ius dominicum & paternum diſtinguũtur à ciuili, quia iuſtitia eſt erga alium, non erga ſeipſum: igitur & ius, quod eſt illius obiectum, ſed ſeruus non eſt alius à domino cùm ſit illius poſſeſſio, nec item filius eſt alius à parentibus, cùm ſit pars quædam illorum antequàm excedat legitimam ætatem, ſítque ſui iuris: Deinde cùm ius ciuile lege conſtet neceſſe eſt inter eos cernatur quibus ineſt æqua parendi, & imperandi poteſtas; ſed dominus, & ſeruus, parentes & liberi non ſunt huiuſmodi: quare licet inter eos ſit ius dominicum, & paternum, non eſt tamen ius ciuile, quod abſolutè ius dicitur. Ius œconomicum, quod eſt inter virum & vxorem, habet maiorem communionem, & ſimilitudinem cum iure ciuili, quàm dominicum, & paternum, quia vxor habet imperium in ancillas, eiúſque eſt conſeruare ea bona, quæ à viro acquiruntur: non eſt tamen propria iuſtitia inter virum, & vxorem, quia non eſt inter eos parendi & imperandi viciſſitudo: ſemper enim vxor parere, & nunquam imperare debet. Ius ciuile duplex eſt naturale, & legale ſeu legitimum. Naturale dicitur illud cuius vis eſt eadem apud omnes, & non quod ſic videatur, aut ſecus legale appellatur, quod initio nihil interfuit vno modo, aut altero fieri, cùm autẽ latũ

poſitúmque eſt iam multum intereſt. Ius iniuſtum & iuſtum ſunt de rebus vniuerſis etiam antequam homines operentur, quia ſcilicet à natura ipſa, vel inſtitutione humana prohibitum eſt, vel imperatum, vt iuſtum eſt legatos dimittere, iniuſtum verò eoſdem retinere: iniuria, ſiue iniuſtè factum, & iuſtè factum ſunt de rebus ſingulis, vt cùm actiones ſunt actu, aut poſtquam ſunt factæ: ita dicimus legato fieri iniuriam, ſi vi detineatur, iuſtè verò agi, ſi actu dimittatur.

De Ἐπιεικείᾳ.

Ἐπιείκεια ſeu æquitas, vel ſummi Iuris moderatio diſtinguitur à iuſtitia, quia magis laudatur æquitas, quàm iuſtitia; deinde quia æquitas eſt iuris legitimi emendatio ad mentẽ legiſlatoris, qui ſi adeſſet ita decerneret, de eóque ſi præſciuiſſet legem tuliſſet, aut ſi præſciuit nec tulit, is conſultò ſuis poſteris, prudentibus, ac bonis, ſuam legem interpretandam reliquit: leges enim omnes ſunt generales, & de vniuerſis, non autem de ſingulis quæ ſunt innumeræ: vbi ergo deficit lex, vſus eſt æquitatis, ita vt vir bonus & æquus dicatur qui æquitatem ſequens de ſuo iure decedit, etiam ſi legis habeat præſidium: Nam ſi tum legem ſequeretur veluti iudex durior exhauriretur ſummum ius in quo plerumque eſt ſumma iniuria, & Reipubl. interdum maximè pernicioſa.

De Prudentia.

Prudentia quam Ariſtoteles appellat ὄμμα τῆς ψυχῆς, oculum animæ, Plato rectorem virtutum, quod vna in omnibus ad bene agendum viam monſtret. item Ariſtoteles 6. Ethic.c.5. libellam

ac directricem operum noſtrorum. Cicero lib.1. de offic.boni indagatricē,& 5.de finib. artem viuendi, Hipparchus, moderatricem actionum: eſt habitus vera ratione ad ea agenda idoneus, quæ vitæ hominum conducunt,vel obſunt. Tres ſunt præcipuæ partes ſeu affectiones prudentiæ; Prima, εὐβουλία, id eſt, bona conſultatio, quæ de bonis mediis ad conſequendum finem neceſſariis rectè conſultat; Secunda, σύνεσις, id eſt, perſpicacia, quæ eſt bonum Iudiciū, ſecundū legem communē de reb. agēdis; Tertia, γνώμη, id eſt, ſententia, quæ eſt bonū iudiciū, ſecūdum rationem naturalē de iis quæ præter legem ſunt ex æquo, & bono æſtimanda. Nemo poteſt eſſe prudens niſi etiam ſit vir bonus, nec poteſt aliquis eſſe vir bonus, niſi quoque fuerit prudentia præditus: quæ igitur videtur prudentia ſine aliis virtutibus non eſt prudentia, ſed calliditas potiùs, & aſtutia.

De Vitio.

Vitium poteſt eſſe in triplici ſtatu; Primo, vt reperitur communiter inter homines, & retinet nomen vitij, eique opponitur virtus, vt eſt in cōmuni ſtatu inter homines; Secundo, vitium imperfectum in ratione vitij dicitur incontinentia eiq. oppoſita reſpondet, cōtinentia quæ eſt virtus in ſtatu imperfecto; Tertio, in ſupremo gradu, ſecundū quē rarò reperitur inter homines, & vocatur feritas ſeu inhumanitas, quando aliquis ex malitia, vel ex viuendi inter barbaros cōſuetudine, vel ex morbo à naturali corporis conſtitutione exercet nequiſſimas actiones, ſecūdū aliquod vitiū cui opponitur virtus in perfectiſſimo ſtatu, quæ heroica ſeu diuina appellatur propter di-

gnitatem, quæque ab aliis virtutibus non differt niſi quadã excellentia. Incontinentia duplex eſt, vna propria circa libidinem, altera impropria circa cupiditatem iræ; hæc minus turpis eſt minúſque reprehenſione digna. Incontinentia ſimpliciter verſatur in voluptate humana, id eſt, quæ humano generi cõmunis eſt: Incontinentia verò ſecundũ quid in ea voluptate quæ humanæ naturæ cancellos tranſgreditur. Continens dicitur, qui guſtus & tactus voluptates ſuperat, à quibus plerique ſuperantur. Incontinens verò qui à voluptate guſtus vel tactus ſuperatur, quæ plerique ſuperant. Conſtans dicitur, qui guſtus, vel tactus triſtitias ſuperat, à quibus plerique ſuperantur. Mollis tandem qui à guſtus tactúſve doloribus ſuperatur, quos plerique ſuperant.

Amicitia eſt mutua quædam beneuolentia alicuius boni gratia, quod eos qui ſe mutuo amore complectuntur non latet; amici enim dicuntur qui habentes mutuam beneuolentiam ob aliquod bonum illud ſibi mutuo apertè volunt. Amicitia verſatur circa amabile cuiuſmodi eſt ſolum bonum, & quidem vel honeſtum, vel iucundum, vel vtile, ita tamen vt illa duo amentur, vt fines, hoc autem poſtremum, vt medium hinc oriuntur tres amicitiæ ſpecies, nempe honeſta, vtilis & iucunda; duæ poſtremæ ſunt tantùm amicitiæ per accidens, proindéque facilè diſſoluuntur: & ſecunda quidẽ maximè conuenit ſenibus: Tertia, autem Iuuenibus; Prima verò, ſola propriè eſt amicitia, quæ probitatis ſimilitudini nititur, quæque eſt conſtans, ac permanens, licet

rarior; quia pauci ſunt boni & ſtudioſi: vnde vt ipſi probentur tẽpore, & conſuetudine opus eſt, atq. ex prouerbio multi modij ſalis edendi ſunt, vt ſe mutuo cognoſcant. Perfecta amicitia, quą vehementer amamus aliquem non poteſt habere multos amicos, quia talis amicitią comparata cum reliquis eſt veluti exceſſus qui ad vnum pertinere ſolet: deinde quia difficile eſt multis vehementer placere, quod tamen in amicitia perfecta eſt neceſſarium; magis proprium eſt amicis amare & honorare, quã amari & honorari: porrò conſiſtit omnis amicitia in ſocietate, tùm quia iuſtitia in ſocietate verſatur, at amicitia verſatur in iiſdem in quibus iuſtitia, tùm quia omnes conſueuerunt amicos appellare ſocios & contrà: vnde natum eſt illud prouerbium amicorum omnia communia; cúmque variæ ſint ſocietates, omnes ad ciuilem reuocantur, & cum ea habent ſimilitudinem; non ſolùm autem eſt amicitia inter pares, ſed etiam inter impares, vt inter patrem & filium, dominũ & ſeruum, regem & ſubditos, virum & vxorem; & regis quidem amicitia conſiſtit in conferendis magnis beneficiis erga ſubditos; cùm enim bonus ſit debet gerere paſtoralem eorum curam; vnde rectè Homerus vocauit Agamemnonem ποιμένα λαῶν, ſimilis eſt ratio paternæ amicitiæ: quãuis maior ſit, quia pater filiis dedit eſſe, quod maximum cenſetur beneficium, illos etiã ali, & inſtitui curat, quæ inter maxima beneficia numerãtur, & regia beneficia magnitudine ſuperãt. Duplex eſt amicitia, cõſanguinea, & ſodalitia; illa eſt veluti naturalis, hęc verò non item; quia reperitur inter cõtribulos, & hoſpites,

Eſt & alia diuiſio cuius ſupra meminimus, nam amicitia vel honeſtate vel iucunditate, vel vtilitate nititur : docétque Ariſtoteles in duabus prioribus nullas reperiri querimonias, aut ſi quæ reperiantur facilè ſedantur, & compenſantur, at in poſtrema ſæpè reperiuntur : vnde ſtatuit ſicut duplex eſt, iuſtum vnum quod ſine ſcripto, alterum quod ſcripto continetur : ſic duplicem eſſe amicitiam in vtilitate fundatam, vna dicitur moralis, altera legitima, illa oritur ex conſuetudine, hæc ex pacto : vnde oriuntur querelæ inter amicos, quando vnus ſequitur amicitiam legitimam, alter moralem, id eſt, quando vnus dat quod putat eſſe conueniens legibus dare, alter verò dat quod homines communiter ſolent largiri nulla habita ratione legum : tollentur autem querimoniæ ſi tantum reddatur quantum acceptum eſt : compenſantur verò querelæ in amicitia per excellentiam, cuiuſmodi eſt hominum erga Deum, & filiorum erga patrem : conſeruabitúrque inter eos amicitia ſi reddatur honor, non quidem pro dignitate (neque enim Deo, & parentibus parem gratiam referre poſſumus, nec pro dignitate ſatisfacere) ſed pro viribus, qui enim eos quocunque officio, & obſeruatione poteſt colit is vir pius habetur ; omnibus amicis, pro dignitate quantum fieri poteſt beneficia rependenda ſunt. Porrò amicitiæ, quæ vtilitate, & iucunditate innituntur diſſolui poſſunt, cùm nihil habent amplius voluptatis, aut vtilitatis : honeſta autem amicitia ſemper eſt retinenda, niſi progreſſu temporis alter lapſus prauus efficiatur : tunc enim

diſſolui debet, non quidem ſtatim atque lapſus eſt, ſed ſi incurabilis eſſe videtur: idem intelligi debet, cùm duo pueri amici progreſſu temporis ita fiunt diſſimiles, vt vnus euadat in virum perfectè ſtudioſum, & honeſtum, alter verò maneat in moribus puerilibus: tunc enim amicitiam diſſolui neceſſe eſt, cùm in tanta morum diſſimilitudine conſeruari non poſſit. Amicus eſt qui vel amici gratia vult, & agit bona, vel qui cuperet eſſe, & viuere alterius amici gratia, vel tandem qui verſatur cum amico, & eadem cum illo expetit, vnde naſcuntur tria amicitiæ officia: Primum dicitur beneficentia, ſecundum beneuolentia, tertium concordia. Eſt autem beneficentia opus conferentis beneficium aliquod in eum, quem amore proſequitur: beneuolentia verò eſt alteri bonum velle, & quidem eius gratia, non eſt tamen beneuolentia amicitia, licet ei ſimilis videatur, quia beneuolentia poteſt eſſe reſpectu ignotorum, & occultè; amicitia autem eſt cum notis & palam: concordia eſt conſenſio de rebus agendis magnis, quæ vtriſque ineſſe poſſunt, & de eodem, quæ in ſolis viris bonis reperitur: & quamuis concordia videatur eſſe eadem cum amicitia ciuili, differt tamen, quia omnis ciuilis amicitia eſt concordia (dicimus enim ciues inter ſe amicos eſſe, qui ſunt concordes) non tamen contra, quia poteſt eſſe concordia de aliqua re particulari, & diſcordia de altera: at amicitia in omni re debet eſſe conſentiens, qui ſeipſum amat honeſtatis gratia, tribuendo ſibi bona honeſta, vt dictat recta ratio laudandus eſt: qui vero amo-

re ſenſus ſeipſum diligit tribuendo ſibi ſolùm bona vtilia, & ſenſilia vituperandus eſt: qui fœlix eſt non indiget amicis, qui ei adferant vtilitatem, aut voluptatem, indiget tamen amicis bonis, & ſtudioſis, quia homo magis conſiderat actiones aliorum, quàm ſuas, vt fœlicitas eſt operatio: igitur fœlix debet habere amicos, quorum fœlicitatem conſideret, indéque ſummam capiat voluptatem; cum paucis ineunda eſt amicitia. In aduerſa fortuna magis neceſſarij ſunt amici vtiles & iucundi quã ſtudioſi: in proſpera autẽ contrà magis neceſſarij ſunt ſtudioſi: denique ſicut in amore captis aſpectus amati maximè oblectat, quoniam ex aſpectu oritur amor: ſic in amicitia viuere, & conuerſari cum amico maximè eſt iucundum, quia ſicut vnuſquiſque erga ſeipſum affectus eſt, ita erga amicum, quoniam amicus eſt alter ego: atqui vnuſquiſque maximè delectatur cùm videt ſe operari & ſentire: igitur & amicum, vnde ſicut ſtudioſi amici ex conuerſatione fiunt ſtudioſiores, ſic praui ex prauorum conſortio fiunt in dies deteriores. De his hactenus.

AMBVLACRVM III.

Nomina, definitio, partitio Phyſicæ.

DIGREDIENTES ab area ſecunda noſtri Hortuli diuertimus ad tertiã, vt iactis in ea totius naturæ ſeminibus, tandem ex illis, non ſolùm vberes fructus, quos reliquæ ſcientiæ ex Philoſophia na-

turali percipiunt, colligere poſſimus; verùm etiam ea frui voluptate, quam teſte Ariſtotele libri primi de partibus animalium, capite quinto affert illis, qui rerum naturalium cauſas ſtudioſè accuratéque contemplantur. Eſt enim, inquit Cicero lib. 1. Academicarum quæſtionum animorum, ingeniorúmque naturale quoddam quaſi pabulum, conſideratio contemplatióque naturæ. Sumemus igitur initium à nomenclatura ipſius ſcientiæ naturalis, ſolet enim appellari, tùm Phyſiologia, tùm Phyſica, tum Philoſophia naturalis, quia cùm φύσις ſit nomen naturæ apud Græcos, deducto ab illo Phyſicæ, & Phyſiologiæ nomine, habitus ille ſignificatur, qui in rerum naturalium cognitione, & tractatione conſiſtit, dicíque ſolet Philoſophia naturalis. Obſeruandum tamen eſt, ſcholas, bifariam vti vocabulo Phyſices, in Philoſophiæ partitione, nimirum, generatim, & ſpeciatim, & quidem priori modo ſumptum, ſignificat ſecundam Philoſophiæ ſpeciem præcipuam, quæ de ſubſtantia, quantitate, & forma rerum naturalium, & in ſumma, de ipſa natura rerum docet: cui tres ſubiiciuntur ſpecies, videlicet Mathematica, Phyſica ſpecialis, quæ alio nomine Phyſiologia nuncupatur, & Metaphyſica: ſi verò poſteriori modo ſumatur, ſpeciatim, ſcilicet, & propriè ſignificat ipſam Phyſiologiam, hoc eſt diſputationem de rerum naturalium motu, mutatione, atque generationibus.

Phyſica, definitur, ſcientia quæ contemplatur ens mobile, quatenus mobile eſt.

Siquidem ens mobile eſt verum Phyſiologiæ

obiectum, quia eius principia, proprietates, & partes conſiderat: nam Ariſtoteles agit in ſua Phyſica, Primò de principiis, cauſis, & proprietatibus entis mobilis, libris 8. περὶ φυσικῆς ἀκροάσεως, id eſt, de naturali auſcultatione, vel de Phyſico auditu: tùm de corpore ſimplici, tam incorruptibili, vt eſt cœlum, quàm corruptibili, vt eſt elementum, lib. 4. de Cœlo: deinde mutationes, & origines rerum corruptibilium, tam elementorum, quàm mixtorum, explicat libris duobus de generatione, & corruptione, vbi & de alteratione, acceſſione, deceſſione, actione, paſſione, mixtione, elementorum numero, mutua generatione, corruptione, & tranſmutatione: poſtea de mixtis imperfectis, nempe, meteoris, libris, ſcilicet, tribus primis meteororũ, 4. autem de perfectis inanimatis; vt lapidibus, metallis; ſed maximè de eorum qualitatibus: tùm de mundo, libello vno, qui tamen non cenſetur eſſe Ariſtotelis: denique de mixtis animatis, ad libros tres de anima: item ad alios de ſenſu, & ſenſibili, memoria, ſomno, vigilia, qui parua naturalia vocantur.

Eſt verò Phyſica, vel Etiologica, quæ cauſas rerum ſcientificè perſequitur, qualis explicatur libris citatis: vel hiſtorica; quæ populari ſtylo, non ſcientificà methodo res naturales deſcribit, vt ſunt libri de hiſtoria animalium, & ſimiles.

AREA TERTIA.

Hanc Aream Phyſiologicam appellabimus, quia complectetur omnia naturæ ſemina, quibus totius compoſiti naturalis conſtitutio, & integra perfectio continetur.

INTERVALLVM I.
Quid ſit principium, & quotuplex.

PRINCIPIVM eſt id vnde Primùm res naturalis quæque fit, aut conſtat: ita vt corpori naturali hoc ipſum principium inſit, tanquã pars ſubſtantiæ eius, per ſe, & non ſecundũ accidens.

Rerum autem naturalium vnum modò principium eſſe nequit: ſunt enim contraria principia, ideóque nec ex ſe mutuo, neque ex aliis prioribus fiunt, cùm ex ipſis cætera omnia originem trahant: ſed neque tantùm duo rerum principia eſſe poſſunt: quia cùm principia rerum naturalium ſint contraria, niſi habeant rem aliquam ſubiectam nihil valent efficere: non ſunt etiam infinita, alioqui enim, de rebus naturalibus nulla dari poſſet ſcientia, maximè cùm rei cognitio atque ſcientia ſit ex principiis, & infinita, hoc ipſo quod ſunt infinita cognoſci nequeant, ex quibus apertè colligitur, ad rerum tranſmutationem tria ad minimum principia concurrere, nam omnia ex contrariis fiunt, contraria autem in re ſubiecta cohærent.

PVLVINVS PRINCIPATIVVS.
De principiis ſimplicibus, & complexis Phyſicæ.

Principia Phyſicæ, alia ſunt ſimplicia & rei, quæ ſunt potiùs principia obiecti, quàm ſcientiæ ipſius; vt materia & forma: alia complexa & cognitionis, quæ ſunt generalia quædam axiomata, quibus tota Philoſophia naturalis nititur, quorum præcipua ſunt. Primum, ex nihilo ni-

hil fit generatione Phyſica, ſed materia opus eſt. Secundum, tria ſunt principia generationis rerum naturalium, materia, forma, & priuatio. Tertium, non generatur per ſe materia, aut forma, ſed compoſitum. Quartum, dantur quatuor cauſarum genera materia, forma, efficiens, & finis. 5. natura pendet à Deo. 6. natura eſt principium motus & quietis. 7. natura ſemper agit propter finem, nec fruſtra aliquid operatur. 8. natura ſemper facit quod melius eſt, quando fieri poteſt. 9. natura fugit infinitum & inordinatum. 10. natura nunquam deficit in neceſſariis. 11. quæ natura fiunt, aut ſemper, aut vt plurimùm fiunt, quæ autem præter hæc, non fiunt ſecundum naturam. 12. natura potiùs eligit vnum, quàm multa, & pauciora, quàm plura, quando fieri poteſt. 13. nihil præter naturam exiſtens, aut nihil violentum, eſt perpetuum. 14. motus eſt actus entis in potentia, quatenus in potentia. 15. quidquid mouetur, partim eſt in termino à quo, partim in termino ad quem, proindéque eſt diuiſibile. 16. actus agentis recipitur in patiente diſpoſito, vnde traxit originem. 17. quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur. 18. actio & paſſio ſunt actus diuerſarum facultatum. 19. actio naturæ eſt determinata ad vnum, & eodem ſemper modo it. 20. mutatio naturalis conſiſtit inter oppoſita. 21. quod dat eſſe, ſeu formam, dat quæ conſequuntur ad eſſe id eſt proprietates. 22. ad eſſe cauſæ ſequitur aliud, nempe effectus. 23. quidquid eſt in effectu, eſt etiam in cauſa: intellige, aut formaliter aut eminenter. 24. quidquid

eſt cauſa cauſæ eſt etiam cauſa cauſati, id eſt, à quocunque pendet cauſa alicuius effectus, ab eodem etiam pendet ipſe effectus. 25. omnis cauſa natura prior eſt ſuo effectu. 26. nihil agit vltra gradum ſuæ perfectionis: intellige propria virtute, quia virtute ſuperioris cauſæ poteſt. 27. contrariorum contrariæ ſunt cauſæ, effectus, & proprietates. 28. quod eſt euidens in rebus naturalibus ſecundùm ſenſum, id non eſt vocandum in quæſtionem, nec ratione probandum: intellige, quando neceſſariæ rationi non repugnat. 29. idem manens idem, ſemper aptum eſt facere idem. 30. actui reſpondet propria potentia, & cuilibet formæ propria materia. 31. nihil poteſt ſibi dare eſſe. 32. corruptio vnius, eſt generatio alterius. cætera paſſim occurrent in Phyſica.

Principia verò ſimplicia & rei ſunt in duplici differentia: alia enim dicuntur generationis; alia compoſitionis: illa ſunt quæ nec ex ſe mutuò, nec ex aliis, ſed ex ipſis ſunt omnia; vt materia, forma, & priuatio, quia in Phyſica generatione ſemper reperiuntur: ſic in generatione ignis ex ligno, materia eſt ipſum lignum ex quo fit ignis, priuatio eſt non ignis ſiue abſentia formæ ignis in ligno apto ad eam recipiendam; forma eſt ipſa ratio eſſentiæ ignis, quæ generatur. Par eſt ratio in omni alia generatione & mutatione naturali: nihil enim fit ex nihilo, igitur ex materia præiacente, nec prius res eſt, quàm fieri incipiat, igitur antequam facta ſit, nondum eſt, poteſt tamen eſſe, & hoc eſt priuatio, aliquid autem generatur, & hoc

eſt

eſt forma, quæ eſt finis proximus generationis, vt compoſitum vltimus ac præcipuus.

Principia compoſitionis, ſunt è quibus compoſita phyſica conſtant. Primò per ſe, & non per accidens vt materia, & forma: nam priuatio non componit quidquam, cùm ſit formaliter nihil.

Materia eſt ſubiectum primum, ex quo inſito, res per ſe fiunt, vt è principio potentiali, eſt enim materia, potentia phyſica determinabilis per formas.

Forma eſt propria ratio eſſentiæ cuiuſque rei, ſiue actus ſimplex, ſubſtantialis, vnum per ſe cum materia conſtituens.

Priuatio eſt abſentia formæ in materia apta, ideo aduentu formæ expellitur priuatio, manétque forma cum materia in compoſito, ſed corruptione aduenìente extinguitur forma, abitque è ſinu materiæ, ipſa autem materia remanet incorruptibilis, & ingenerabilis, licet ſit principium generationis, & corruptionis: quod ei accidit ab inexplebili appetitu formarum, quas viciſſim excipit & amittit: atque hoc dicitur de materia prima, quæ omni forma ſubſtantiali, & accidentali deſtituta eſt, nam materia ſecunda, ſiue formata corrumpitur, non vt materia eſt, ſed vt affecta formis his vel illis.

INTERVALLVM II.

Cauſæ multiplex acceptio, & proprietates.

TRACTATIO cauſarum ad phyſicum pertinet; nam in omni ortu & interitu, omnique

naturali mutatione explicanda, id quod quæritur, ad cauſas referendum eſt: dicitur autem cauſa multis modis; cauſarum enim aliæ ſunt per ſe, aliæ ex euentu, ſiue per accidens, aliæ priores, aliæ poſteriores, aliæ actu, aliæ poteſtate, aliæ efficientes, aliæ formales, aliæ finales, aliæ materiales. Sunt autem tria attributa cauſarum quæ vulgò proprietates appellari ſolent, nam eiuſdem rei plures poſſunt eſſe cauſæ, licet non eadem ratione: deinde cauſæ inter ſe ſunt ſibi cauſæ: denique contrariorum effectorum eadem cauſa eſſe poteſt.

AREOLA CAVSALIS.

Quid ſit cauſa, natura, finis, efficiens, exemplar.

Cauſa, eſt id ad quod aliud ſequitur. Cauſarum verò aliæ ſunt externæ; vt finis, & efficiens; aliæ internæ & eſſentiales; vt materialis, & formalis; materialis dicitur natura paſſiua, formalis actiua.

Natura eſt principium & cauſa motus ac quietis; eius rei in qua eſt primò per ſe, & non per accidens: ſic cauſa cur ignis moueatur ſurſum, dicitur eius natura; cauſa cur homo intelligat, dicitur eius natura; quia natura eſt principium actionum omnium quæ rebus per ſe conueniunt, principium, inquam, internum, nam externum eſt efficiens, & finis, quæ ſunt extra rem.

Finis eſt id cuius gratia fit aliquid, igitur prior eſt efficiente ſaltem obiectiuè, vt aiunt & intentionaliter, ſiue ordine intentionis, non autem executionis, vnde dicitur princeps cauſarum.

Efficiens, eſt id vnde, ſiue à quo fit aliquid, ob

aliquem finem. natura enim, & ars agit ob finem, non temerè.

Idea ſiue exemplar, eſt ratio agendi, cùm res fiant ad ſimilitudinem ideæ ſiue exemplaris; eſt ergo effectus naturalis quilibet ab efficiente, ex materia, per formam, & propter finem aliquem.

Sed vt hæ cauſæ dicuntur per ſe, ſic caſus & fortuna dicuntur cauſæ fortuitæ,& per accidens, quæ,ſcilicet in his ſunt, quæ præter intentionem eueniunt; fortuna quidem in humanis eſt quæ ab electione pendent; caſus in naturalibus.

Monſtra ſunt effecta fortuita impeditæ naturæ, & à recto atque ordinario fine deerrantis.

INTERVALLVM III.

De quantitate, loco, motu, tempore.

COMMVNES proprietates entis mobilis, ſeu corporis naturalis, ſunt quantitas, ſiue magnitudo, quæ corpori phyſico ineſt; vel definita, vt in viuentibus; vel indefinita, vt in cæteris.

Locus, omne enim corpus eſt in loco certo, qui eſt ſuperficies, vel extremitas corporis continentis, immobilis, & prima; neque enim datur locus vacuus in natura.

Motus, omne enim corpus naturale poteſt moueri; ſiue motu locali, vt grauia deorſum, leuia ſurſum, cœli circulariter; ſiue motu alterationis, quæ eſt mutatio in qualitate, vt cùm res è frigida fit calida; ſiue motu accretionis, vt

cùm res creſcunt: fit enim motus ad tria genera, qualitatem, quantitatem, & vbi, definitúrque generatim, actus entis in potentia, vt in potentia; vel actus mobilis, vt mobile eſt.

Tempus, omnia enim ſunt in tempore, quod eſt duratio rerum mobilium & caducarum; vel numerus & menſura motus ſecundum prius & poſterius.

Areola mvndana.

De mundo, elementis, cælis.

Mundus eſt compages è cœlo, terráque, & iis naturis, quæ inter ea continentur, coagmentata, ad Dei gloriam, & vſum hominis diuina virtute creata; cuius creationem verno tempore factam, vt veteres omnes, ac præſertim Ariſtoteles, non agnouerunt, ſic & eius deſitionem mortalium nemo, niſi reuelante Deo, cognoſcere poteſt.

Elementum eſt corpus naturale ſimplex, in quod alia corpora, id eſt, mixta reſoluuntur, in quibus eſt actu, vel potentia, ipſum autem in alia corpora non reſoluitur.

Quatuor ſunt elementa, terra, aqua, aër, & ignis.

Terra eſt elementum ſummè ſiccum, ſummè graue, ſummè craſſum, mediocriter frigidum, in centro mundi ſitum, aquarum riuis & ductibus paſſim irrigatum, ad vtilitatem animalium; non enim datur elementa pura, ſed aliquatenus mixta, præſertim aër infimus, aqua, & terra in quib. viuunt plantæ & animalia, quæ elementorum puritate læderentur, cùm ſint mixta.

Aqua eſt elementum ſummè frigidum, ſecundum quid graue, excellenter humidum, aëri ſuppoſitum, in mare, fluuios, lacus, ſtagna, fontéſque diſtinctum.

Aër eſt elementum ſummè humidum, ſecundum quid leue, mediocriter calidum, ſubtile, rarum, igni ſuppoſitum, in tres regiones, ſummam nempe igni vicinam, mediam, in qua nubes creantur, & infimã, in qua viuimus, diſtinctũ.

Ignis eſt elementum ſummè calidum, ſummè leue, & excellenter ſiccum, ſubtiliſſimum, rariſſimum, in concauo Lunæ ſitum, licet ibi non videatur, ob nimiam raritatem.

Cœlum eſt corpus naturale ſimplex, luminoſum, materia conſtans, diuerſa ab elementis, formæ compos nobiliſſimæ, expers omnis corruptionis, perpetuo ac circulari motu circa mundi centrum, ſiue terram, à præſide intelligentia, quaſi ab aſſiſtente anima ſapientiſſimè agitatum, ad rerum elementarium, in quas influit, generationem, ac totius mundi conſeruationem.

Cœlorum orbes ſunt 12. primus & infimus eſt Lunæ, 2. Mercurij, 3. Veneris, 4. Solis, 5. Martis, 6. Iouis, 7. Saturni, 8. firmamentum, ſiue aplanes, in quo ſunt ſtellæ fixæ apparentes mille viginti duæ, partes denſiores cœli, ideóque ſplendidiores, vt nodi in tabula, nonus & decimus ſunt duo cryſtallini, 11. primum mobile, 12. Cœlum empyreum beatorum ſedes. quidam tamen ex hoc numero expungunt vnum cryſtallinum, alij vtrumque, vt illi 11. hi verò decem tantùm orbes conſtituant.

INTERVALLVM IV.
Quid mixtio, quot modis ſiat.

MIXTIO eſt elementorum, ſiue mixtilium alteratorum, ad producenda mixta, vnio & coitus.

Miſcentur elementa, vel imperfectè; vt cùm formam ſubſtantialem retinent, ſed qualitates natiuas aliquatenus amittunt; vt cùm aqua fit vapor, vapor enim eſt aqua ſubcalida, rara, leuis; & hinc meteora quæ definiuntur, corpora imperfectè mixta in loco ſublimiore magna ex parte procreata: vel perfectè, cùm proprias formas ſubſtantiales amittunt, ita vt ſuccedat alia quædam mixti propria, & eſſentialis; vt cùm è quatuor elementis probè mixtis fit aurum, vel planta, tunc eſt perfecta mixtio.

AREOLA METEORICA.
Meteororum materia, efficiens, finis, locus, varietas.

Materia remota meteororum, eſt terra, & aqua; proxima eſt exhalatio, & vapor.

Exhalatio eſt, halitus terræ calidus, & ſiccus, qui ſi pinguior eſt & viſcoſus, materia eſt meteororũ igneorum, vt cometarum; ſi macer & aridus, ventorum.

Vapor eſt halitus aquæ calidus & humidus, vnde nubes, pluuia.

Cauſa efficiens eſt Sol, qui calore ſuo vapores, & exhalationes excitat.

Finis eſt vtilitas naturæ inferioris, frugum, fructuúmque generatio, & maturitas.

Meteora alia ignea quæ pro exhalationis magnitudine, paruitate, figura, & diſpoſitione diuerſa ſunt; & nunc in ſummo aëre gignuntur; vt cometæ, capræ ſaltantes, lanceæ, dracones volantes; nunc in medio, vt fulgura, & fulmina; nunc in imo, vt ignes fatui: alia aquea, quæ ex vapore fiunt in medio aëre, vt nubes, pluuia; vel in imo, vt grando, nebula, ros, pruina; vel in terra, vt glacies: alia lucida, vt varij colores in aëre, & nubibus apparentes è lumine eiúſve reflexu nati; vt voragines, hiatus, parelia ſiue imagines Solis, paraſelinæ ſeu imagines Lunæ, Iris ſiue arcus cœleſtis: alia ſicca, vt terræ motus, & venti, quorum quatuor ſunt præcipui, Aquilo, Auſter, Eurus, Zephyrus, cæteri ſunt collaterales.

INTERVALLVM V.

De generatione foſſilium, ſiue lapidum, & metallorum.

EX calida & ſicca exhalatione in viſceribus terræ incluſa, actione corporum cœleſtium, mineralia generantur, quæ appellantur foſſilia, quorum tota natura terreſtris eſt, magis habens ſiccæ exhalationis: generantur autem lapides & gemmæ hoc modo, cùm exhalatio eſt fumoſa & terreſtris, non valens diſrumpere terram, condenſatur ab ipſius frigiditate, & vapore illi exhalationi commixto, qui condenſatione vertitur in lutum, ac decoquitur, tandem lutum ipſum à caliditate exhalationis calidæ & ſiccæ fit lapis.

Ex vapore verò ſeu ſpiritu calido & humido, commixtis terreſtribus partibus, actione corporum cœleſtium metalla generantur. nam exhalatio vaporoſa multo tempore à terræ frigiditate decocta conſtringitur, ac generantur metalla fuſilia : ex quibus patet cauſam materialem mineralium omnium eſſe exhalationes & vapores, efficientem verò influentiam corporũ cœleſtium, & præcipuè planetarum ; vnde Saturno attribuitur plumbum, Ioui ſtannum, Marti ferrum, Soli aurum, Veneri cuprum, Mercurio argentum viuum, Lunæ argentum.

Areola mineralis.

De mixtis perfectis inanimatis.

Perfectè mixta ſunt in duplici differentia, quędam enim ſunt inanimata, de quibus in areola præſenti ágemus; alia animata, de quibus in ſequenti.

Perfectè mixta inanimata ſunt triplicis generis: Primum eſt foſſile quòd è terra ſic effoditur, vt cùm aliis corporibus mixtũ non ſit, nec egeat arte vt repurgetur; éſtque vel liquabile, vt ſulphur, naphta, ſal foſſile, eſt enim aliud ſal factitium; vel non liquabile, vt lapides, qui vel communes ſunt, & craſſiores, vt ſaxum, marmor; vel pretioſi, vt gemmæ.

Secundum eſt metallum ex ſulphure & argento viuo in terra aquea genitum, calore coctum, frigore denſatum, durum, liquabile, ductile, vt aurum, argẽtum, æs, ferrum, ſtannum, plumbum.

Tertium eſt neutrum; vt liquores expreſſi è plantis, vel fructibus, vt oleum, vinum, vel ex animalibus, vt mel, lac, ſanguis.

INTERVALLVM VI.

De viuente phyſico.

OMNE viuens phyſicum conſtat anima & corpore, corpore,inquam,non ſimplici, aut homogeneo, cuius partes ſunt eiuſdem rationis cum toto; vt partes aquæ, partes auri; ſed organico, & eterogeneo, hoc eſt, quod inſtructum ſit partibus diuerſa ratione temperatis, atque aliter efformatis, ad diuerſa vitæ officia, ſunt enim operationes animæ plures: vnde neceſſaria fuerunt diuerſa organa,imò inſtrumenta corporis, cuius anima eſt actus, ſiue forma, aut perfectio ſubſtantialis.

AREOLA ANIMASTICA.

De anima quid? quotuplex, facultates ſeu potentiæ, &c.

Definitur anima actus corporis naturalis, organici, poteſtate vitam habentis, vel principium primum quo viuimus, ſentimus, loco mouemur,& intelligimus.

Animā eſt triplex,vegetans, ſentiens,& rationalis.

Vegetans eſt principium nutritionis, accretionis, & generationis in plantis; nam plantæ aſſumpto è terra alimento nutriuntur, creſcunt, & ſi perfectæ ſunt generant plantas ſibi ſimiles.

Sentiens eſt principium ſenſus,qui vel eſt neceſſitatis, vt tactus, cuius obiectum eſt qualitas tactilis, vt calor,& frigus, durities, & mollities:

& guſtus, cuius obiectum eſt ſapor dulcis, amarus, acutus; organum, neruus in cuſpide linguæ, ſub carne ſpongioſa deliteſcens, vt tactus caro, cutis, neruus: nam ſine vtroque ſenſu nullum animal viuit; vel commoditatis, vt odoratus, cuius obiectum odor; organum, nares, vel potiùs carunculæ mamillares in ſummitate narium exiſtentes; auditus cuius obiectum ſonus, organum, aër innatus tympano incluſus; & viſus cuius obiectum lumen, & color, organum pupilla oculi.

In quibus ergo animalibus tactus eſt & guſtus tantùm, ea imperfecta ſunt, nec loco mouentur; vt ſunt oſtrea & conchilia, quæ dicuntur meſophita, quaſi mediæ naturæ, inter plantas, & perfecta animalia: in quibus verò omnes ſunt ſenſus, ea perfecta ſunt, & loco mouentur; pollêntque ſenſibus internis, nempe ſenſu communi, qui iudex eſt exteriorum ſenſuum; phantaſia, quæ rerum imagines ſpeciéſque percipit; æſtimatiua quæ iudicat; memoria quæ retinet; ſic canes, equi perfecta ſunt animalia, cùm ſenſus externos, internóſque omnes habeant.

Rationalis eſt propria hominis intelligendi, eligendi, & ex ratione memorandi principium; anima enim rationalis Dei trini & vnius imago viua, vna eſt, ſimplex, & indiuidua ſecundum eſſentiam & ſubſtantiam, item immortalis, & ſpiritalis, ſed facultate & viribus trina, quippe quæ prædita ſit intellectu, quo omnia intelligit; voluntate libera, qua eligit, amplectitur, vel reſpuit; memoria ſpiritali, (eſt enim ſenſitiua in brutis) per quam intellecta retinet, & conſeruat.

Sed vt ternarius continet binarium, atque adeò vnitatem, & binarius vnitatem; ſic anima nobilior ignobiliorem, ſaltem virtute & eminenter; nam vbi ratio, ibi ſenſus, & vita, vbi ſenſus, ibi & vita. Hactenus de Compendio Phyſices.

AREA QVARTA THEOLOGICA.

Hancaream Metaphyſicam ſiue Theologicam naturalem appellamus, quoniam in illa conſerimus omnia Theologiæ naturalis, ſeu primæ Philoſophiæ elementa.

AMBVLACRVM IV.

Nomina, Definitio, Obiectum, Officia Metaphyſicæ.

INGREDIMVR tandem quartum noſtri Hortuli Ambulacrum, vt in aream vltimam deſcendamus; in qua diuinioris Philoſophiæ, Theologiæque naturalis ſemina ſata ſunt; habet autem hæc ſcientia quæ vulgò Metaphyſica nominatur, titulos egregios & inſignes, ſuæque nobilitati ac ſplendori congruentes apud Ariſtotelem. Nam libri tertij Metaphyſicorum cap.2.eam vocat dominam, reginam, ac principem reliquarum ſcientiarum, cui, nempe, nefas ſit cæteras ſcientias contradicere, quoniam illarum principia confirmat. Appella-

Digitized by Google

tur etiam prima Philoſophia, item abſolutè Philoſophia, ex cap.2. libri 4. Metaphyſicor.

Dicitur & Theologia libri 7. Metaphyſicor. cap.1. quia diſputat de primis cauſis communibúſque principiis.

Definitur autem Metaphyſica, ſcientia quæ occupatur circa cognitionem entis, quatenus ens eſt, ſiue quatenus eſt Deo commune, & rebus creatis.

Eſt enim hoc modo ſumptum, obiectum, Metaphyſicæ, quoniam principia illius, partes, & proprietates in ea explicantur: Principia quidem, vt eſſentia, & exiſtentia: partes, vt Deus, Angeli, ſubſtantia, accidens: denique proprietates, vt vnitas, veritas, bonitas.

Tria ſunt præcipua Metaphyſicæ munia. Primum munus eſt cæteris ſcientiis ſua decernere obiecta, explicando, nimirum partes entis, quarum ramos aliquos ſiue propagines, ſingulæ ſcientiæ prô ratione ſua ſibi decerpunt.

Secundum, eiſdem ſcientiis ſuppeditare communes terminos, & attributa eſſentialia, quæ categoriis continentur, & terminis illis quos vocant tranſcendentales.

Tertium, ſtabilire & confirmare principia earundem ſcientiarum, ſaltem ductu ad incommodum, vt in Logica dici ſolet: quæ quidem officia ipſius Metaphyſicæ principatum in alias ſcientias manifeſtè arguunt.

Is autem verè ſapiens debet cenſeri, qui ſcit omnia quoad fieri poteſt: qui res non vulgares, & cuique obuias; ſed difficiles, abſtruſas & à communi ſenſu remotas nouit: qui ea quæ cognoſcit

certiori cognitione comprehendit quàm cæteri: qui ad docendum eſt aptior, & ad tradendas rerum cauſas: qui præditus eſt ea cognitione & ſcientia, quæ propter ſe expetatur, hoc eſt, gratia ſolius veritatis: denique qui cæteris artificibus imperat, & præcipit. Quæ ſapientis officia tradit Ariſtoteles lib. 1. Metaphyſ. cap. 2. vbi etiam docet iſtas omnes conditiones Metaphyſico perbellè conuenire.

INTERVALLVM I.

Quid ſit ens, quot modis ſumatur.

ALTISSIMA eſt entis diſquiſitio, ſimpliciſſima, & maximè abſtracta, cùm nihil ſit ſuprà ens, aut quod ipſum antecedat, ex quo rationem & eſſentiam eius explicare valeamus: quapropter ratio entis propriè in definitionem cadere non poteſt; deſcriptionibus tamen quibuſdam adumbrari poterit, quales ſunt hæ quæ à Philoſophis, vt plurimùm, iactantur.

Ens eſt, quod tanquam notiſſimum ab intellectu concipitur.

Ens eſt, quod habet eſſentiam.

Ens eſt, quod habet actum eſſendi ſiue exiſtentiam.

Ens eſt, id quod verè eſt, vel eſſe poteſt.

Harum autem deſcriptionum optima eſt poſtrema.

Notabis autem hoc loco nomen entis bifariam ſumi. Primò quidem, vt ſignificat actum exiſtendi; itavt idem ſit atque actu exiſtens tem-

pore præſenti, éſtque tunc ens participium verbi, Sum, vt notat ſanctus Thomas aliíque grauiſſimi interpretes. Secundò, ſumitur ens, vt ſignificat formaliter ipſam eſſentiam rei exiſtentis, aut actu, aut poteſtate: quo ſenſu naturæ reales ſecundum ſe ſpectatæ, ſiue ſint actu, ſiue non ſint, ſub nomine entis comprehenduntur. Atque ens hoc ſenſu ſumptum, eſt obiectum Metaphyſicæ, & diuiditur in decem ſumma genera ſiue categorias. Itaque ratio entis priori modo ſumpta in eo ſita eſt, vt ſit aliquid actu exiſtens, vel habens realem actum eſſendi: poſteriori autem, vt ſit aliquid habens veram eſſentiam & realem, id eſt, non fictam, non chimęricam; ſed aptam ad realiter exiſtendum. Porrò ens priori modo non conuenit eſſentialiter rebus creatis; nam exiſtentia ipſa ſiue actus exiſtendi non eſt de eſſentia rerum creatarum, ſed ſolius Dei: poſteriori autem, ens conuenit rebus quibuſlibet quidditatiuè, vt loquuntur Metaphyſici, hoc eſt, vt attributum eſſentiale; ſic ſubſtantia dicitur eſſentialiter ens, item & accidens.

Conceptus entis eſt aliquatenus diuerſus à conceptu ſubſtantiæ, aut accidentis, quia cùm audio nomen entis, non concipio diſtinctè ſubſtantiam, aut accidentia, & cætera; quæ priuatim exiſtunt: ſed concipio omnia confuſa quadam notione, vt conueniunt in eo quod habent eſſe, aut habere poſſunt quodcunque ſit illud.

PVLVINVS ENTITATIVVS.

Variæ diuiſiones entis.

Ens ſecundum ſuam ampliſſimam ſignificatio-

nem acceptum,pro eo omni quod poteſt cadere in intelligentiam, diuiditur in ens rei,& ens rationis.

Ens rei,dicitur illud quod realem habet exiſtentiam, non autem fictitiam aut imaginariam.

Ens rationis eſt, quod habet fictum eſſe, nec vllo modo eſt,niſi de ipſo mens cogitet;vt genus, ſubiectum,chimæra.

Ens rationis triplex eſt,negatio,vt non homo; priuatio,vt ſurditas;relatio rationis, vt genereitas;quæ etiam à logicis dicitur ſecunda intentio.

Ens rei aliud eſt per ſe, illud nempe quod in ſe abſolutum eſt,ſimplex, & vnum, vt Angelus, homo, aliud per accidens quod non ex ſe, ſed ex accidenti eſt vnum, conſtátque multis rebus diuerſi generis,& ordinis,vt homo veſtitus, albus, muſicus; hæc enim omnia diuerſi ſunt generis & ordinis.

Ens rei per ſe aliud eſt actu, quod ſcilicet realiter exiſtit ſiue actualiter, aliud potentia, quod poteſt exiſtere,vt antichriſtus.

Ens rei per ſe actu,aliud eſt finitum,quod certos habet terminos, ac fines ſuæ eſſentiæ, & ſuæ virtutis, aliud infinitum, quod nullis finibus clauditur, ſiue ſecundum eſſentiam, ſiue ſecundum virtutem,vt eſt ſolus Deus.

Ens rei per ſe actu, & finitum, aliud eſt completum,cui nihil deeſt partium ſuarum, aliud eſt incompletum, quod eſt ipſamet pars totum aliquod componens.

Ens rei per ſe actu finitum completum, diuiditur in decem genera ſumma, ſiue categorias, ſubſtantiam,quantitatem, relationē,&c. quæ di-

uiſio eadem eſt, ac ſi diuideretur ens creatum, & completum, in ſubſtantiam, & accidens, ſiue in illud ens, quod ſubſiſtit per ſe, & illud, quod eſt per aliud, ſiue in alio.

Subſtantia autem categorica, alia eſt ſpiritalis, quæ dicitur vno nomine ſpiritus, alia corporea, quæ etiam corpus appellatur; ſubſtãtiæ ergo ſpiritales, quæ ſcilicet cum materia neceſſariam cõnexionem non habent, ſed ab ea ſolutæ ſunt, & immunes metaphyſicæ ſunt cõſiderationis: corporeæ autem, quæ ſcilicet materia & forma conſtant, ad ignobiliorem artificem, nempe phyſicum pertinent, niſi quod Metaphyſica propter eminentiam ſingularem de corpore, quædam docet vniuerſim.

Accidens verò in 9. vulgatos ordines diſtinguitur, ſiue categorias de quibus in logicis.

INTERVALLVM II.

Quid ſit modus, & qui modi entis.

MODVS, inquit doctor Angelicus 1. 2. qu. 49. art. 2. eſt omnis determinatio, vel limitatio præfixa, cuiq; rei finitæ iuxta menſurã eius.

Diuus Auguſtinus lib. 4. cap. 3. de Geneſi ad literam, ſic modum definit, modus eſt, quem menſura preſigit, id eſt, debita rei cuique commenſuratio ad ſua principia.

Modus generaliſſimè dicitur quidquid rem afficit vel determinat quacunque ratione.

Magis propriè modus, definitur, intrinſeca determinatio eſſentiæ in actu, cuiuſmodi eſt ſubſiſtentia

ſiſtentia comparatione ſubſtantiæ, dixi eſſentiæ in actu, quia eſſentia poſſibilis, vt ſic, non habet modum poſitiuum, ſed priuatiuum tantùm, & potentiale: igitur modi entis ſunt, eſſe per ſe, eſſe in alio, ſed magis puri ſunt, ac proprij, ſubſiſtentia, inhærentia, exiſtentia, ſeu actualitas eſſendi; hi enim modi inſeruiunt tantùm rebus ſiue entibus, vt eorum ſtatum, & rationē exiſtendi vltimò determinent intrinſecè, vel extrinſecè.

Areola principiativa.

De principiis entis tam complexis, quàm incomplexis.

Firmitas, claritáſque ſcientiarum à principiorum cognitione omnino dependet; vt notat Ariſtoteles, procœmio Phyſicorum, ideo principiis ignoratis, aut omnia ignorantur, aut animus perpetuis dubitationum, quaſi fluctibus, in incertum mouetur, ac titubat; curam ergo habet præcipuam principiorum prima Philoſophia.

Principium eſt id vnde aliquid fit, aut eſt, aut cognoſcitur.

Hæc definitio notat diuiſionem principij in principium rei, & principium cognitionis: illud eſt vnde res habet eſſe, éſtque vel externum, vt finis, & efficiens, vel internum, vt materia, & forma in Phyſicis, in Metaphyſicis verò eſſentia & exiſtentia, actus & potentia, genus & differentia: principiū verò cognitionis eſt quod confert ad rem intelligendam, éſtque, vel ſimplex, vt effecta, & operationes rei quæ cognoſcitur, vel complexum, vt ſunt maximæ, ſiue axiomata quæ vel communia ſunt, & generalia, vt quodlibet eſt, vel non eſt, vel propria ſingulis

ſcientiis, vt in Geometria, tota linea maior eſt ſua parte; in Phyſica, natura eſt principium motus, & quietis; in medicina, contraria curantur contrariis.

Ens ergo ſua habet principia, & rei & cognitionis, tam ſimplicia, quàm complexa: complexorum, alia ſunt communiſſima, vt hæc, impoſſibile eſt idem eſſe ſimul, & non eſſe: quodlibet eſt, vel non eſt, quæ duo, dialecticè ſic exprimuntur, de nullo ſimul vera eſt affirmatio, & negatio, quidquid eſt, quandiu eſt neceſſe eſt eſſe: quidquid habet eſſe, illud eſt vnum, & verum, & bonum: alia ſunt minus communia, vt totum præſtat partibus: cauſa prior eſt effectu: ſi ab æqualibus æqualia demas, quæ remanebunt, erunt æqualia; & his axiomatibus vtuntur ſcientiæ inferiores, cùm ea in materiam ſuam accommodant: omnium autem principiorum firmiſſimum, & notiſſimum, illud eſt impoſſibile, eſt aliquid eſſe ſimul & non eſſe: ſi quidem principium hoc omnia confirmat, & pertinaces adigit in manifeſtam contradictionem.

Principia incomplexa ſunt, eſſentia, & exiſtentia, quæ omnium ſunt generaliſſima, actus, & potentia, genus, & differentia, quæ ſunt minus generalia: denique materia & forma, quæ ſunt ſpecialiora: de materia & forma agitur in Phyſicis; de genere & differentia in Logicis; de actu, & potentia, infra dicemus: nunc ergo dicendum de eſſentia & exiſtentia.

Eſſentia eſt id quod omnino primùm in qualibet re concipi debet, cui cætera omnia ſuperaddi intelliguntur, id vulgò appellant ratio-

nem cuiuſque entis, rationem formalem, conceptum, formalem; quidditatem, naturam, ſed communius eſſentiam.

Obſeruat D. Tho. cap. 1. lib. de ente, & eſſentia, naturam dici in re, quatenus operationem aliquam; ſiue vim agendi habere poteſt; quidditatem verò, vt definitione ſignificatur; quia ſola definitio explicat quid res ſit: denique eſſentiam, quatenus res, per eam habet actum eſſendi.

Eſſentia alia eſt integra, perfecta, totalis; alia incompleta, imperfecta, partialis.

Eſſentia integra vna eſt purè ſimplex, altera compoſita.

Eſſentia purè ſimplex nullos habet diuerſos gradus ſuæ entitatis, ſed eſt puriſſimus, & ſimpliciſſimus actus, cuiuſmodi eſt ſola Dei eſſentia.

Eſſentia compoſita conſtat pluribus gradibus ſuæ perfectionis eſſentialis, quaſi ex partibus horum graduum; alij vocantur potentiales, ſcilicet communiores; alij actuales, ſcilicet ſpecialiores.

Exemplum ſit homo, quandoquidem eſſentia eius eſt compoſita; ideóque conſtat diuerſis gradibus ſuæ perfectionis eſſentialis; putà gradu ſubſtantiæ, corporis, viuentis, animalis, rationalis, ſiquidem hæc omnia ſunt de eſſentia hominis: ita tamen vt gradus communiores, ſint potentiales comparatione inferiorum; inferiores verò, actuales comparatione ſuperiorum: itaque gradus rationalis, quia eſt vltimus, & ſpecialiſſimus, ideo maximè eſt actualis; ex quo fit, vt homo per vnum gradum conſtituatur, & determinetur in tali eſſe, putà hominis.

Eſſentiæ rerum vulgò dicuntur indiuiſibiles,

ſed id intelligendum eſt participatiuè, nempe, quatenus nullum, eſt indiuiduum vllius ſpeciei, quod non æqualiter naturam participet in ratione ſpecifica: non autem entitatiuè, fieri enim poteſt, vt calor diuiſibilis ſit, & inæqualiter conueniens ſubiectis; non quidem ſecundũ eſſentiam caloris, primus enim gradus caloris æquè eſſentialiter eſt calor, atque octauus, ſed entitatiuè, vt nempe in ſubiecto calido altiores radices agit, & in eo gradus multiplicantur, fitque ipſe calor continenter fortior, & viuidior.

Exiſtentia definitur, actualitas eſſentiæ, vel modus quidam eſſentiæ, quo formaliter res eſt actu, ſiue extra ſuas cauſas; etenim antequam res exiſtat, dicitur eſſe poteſtate, & quaſi in abdito cauſarum ſuarum deliteſcere; tunc autem exiſtere incipit cum virtute cauſarum, foras prodit: cùm autem modus ſequatur rem, cuius eſt modus, hinc fit, vt ſi eſſentia ſit ſubſtantialis, ipſius quoque exiſtentia ſit modus ſubſtantialis, ſi verò eſſentia ſit accidentalis, ipſius quoque exiſtentia ſit modus accidentalis.

Exiſtentia differt ab eſſentia in rebus creatis realiter formaliter, ſiue realitate minori, vel, vt alij loquuntur, ratione quadam formali, ſeu, ex natura rei, & tanquam modus à re ſua; dixi in rebus creatis, quia in Deo exiſtentia non differt ab eſſentia: ſiquidem exiſtentia Dei eſt ipſamet Dei eſſentia purè, & formaliter, quod ſignificant Theologi, vbi aiunt, Deus eſſentialiter eſt ſuum eſſe, & propoſitio hæc de Deo eſt per ſe nota, primo modo Deus eſt.

Exiſtentia diuiditur vt ens, vna enim eſt ſub-

ſtantiæ, altera accidentis; exiſtentia ſubſtantiæ creatæ eſt modus, ſiue actus naturæ terminatæ, & completæ. Exiſtētia accidentis eſt modus, quo vltimò actuatur accidens, ita vt per ſe non ſit.

Subſiſtentia eſt modus realis, quo natura ſubſtantialis completa, & integra conſtituitur, vel eſt modus, quo natura fit ſuppoſitum.

Suppoſitum eſt ſubſtantia ſingularis completa, & incommunicabilis; ſed quoniam affinitas eſt magna inter eſſe per ſe, ſubſiſtentiam, ſuppoſitalitatem, hypoſtaſim, perſonalitatem, & perſonam, ideo hoc loco diſtinguenda ſunt.

Eſſe per ſe eſt modus eſſendi ſubſtantiæ proprius, vt ab accidente differt, quod non eſt per ſe, ſed in alio.

Subſiſtentia idem eſt ac ſuppoſitalitas, ſiue hypoſtaſis in ſenſu abſtracto, éſtque modus, ſiue terminus intrinſecus ſubſtantiæ, particularis indiuiduus, atque incommunicabilis.

Perſonalitas eſt ſubſiſtentia incommunicabilis intelligenti naturæ competens.

Suppoſitum, ſiue hypoſtaſis in concreto, eſt ſubſtantia ſingularis per ſe completè, & incommunicabiliter exiſtens.

Perſona eſt rationale ſuppoſitum intelligentiæ ſcilicet compos, vt pater in diuinis, vt Angelus quilibet, vt Petrus, & ſinguli homines.

Inhærentia eſt modus exiſtendi cuilibet accidenti naturalis, quo ſcilicet eſſe accidentis vltimò actuatur: ſic vulgò dicunt Philoſophi accidentis eſſe, eſt ineſſe, ineſſe inquam vt in ſubiecto non inſtar partis.

Inhærentia duplex eſt, aptitudinalis, quæ non

videtur differre ab eſſentia accidentis,& actualis quæ differt: inhærentiam porro actualem non eſſe de eſſentia accidentis, apparet ex venerabili Euchariſtiæ ſacramento, in quo accidentia exiſtunt ſine ſubiecto.

Entitatis ſignificatio anceps eſt, & dubia, interdum enim entitas ſumitur pro ratione, natura, & eſſentia cuiuſque rei, interdum verò ſumitur pro modo quodam eſſentiæ, ſecundum quem eſſentia diuiditur in partes entitatiuas; ſic dicimus ſubſtantiam diuidi in partes ſubſtantiales, tanquam in partes entitatiuas, & ſub eadem magnitudine, plus, vel minus ſubſtantiæ ſubeſſe poſſe, vt in corporum condenſatione, & rarefactione; quod tamen de ſubſtantia dicitur,non ratione eſſentiæ,quæ præcisè eſt indiuiſibilis, ſed ratione entitatis.

Entitas ergo eſt modus eſſentiæ, rebus corporeis maximè conueniens, ſecundum quem res ſunt diuiſibiles entitatiuè.

INTERVALLVM III.

Diuiſio proprietatum entis.

PROPRIETATES entis, aliæ ſimplices ſunt, nempe vnum, verum, bonum; aliæ complexæ, ſiue coniunctæ, ſcilicet eſſe actu, vel potentia; eſſe idem, vel diuerſum; eſſe contingens, vel neceſſarium.

AREOLA PROPRIETARIA.

De proprietatibus entis ſimplicibus, & coniunctis:

Vnum definitur id, quod indiuiſum eſt in ſe, & diuiſum à quocunque alio, vt colligitur ex cap. 2. lib. 4. Metaph.

Vnitas eſt negatio diuiſionis, non includens formaliter ens.

Ergo vnum, addit enti, non quidpiam reale, ſed negationem, non omnino puram; ſed negationem diuiſionis à ſeipſo per modum priuationis, adeo vt materialiter vnum ſignificet ens, formaliter verò negationem diuiſionis in ſeipſo.

Vnitas quintuplex eſt, tranſcendentalis, ea ſcilicet quæ omni enti, vt ens eſt, conuenit.

Categorica, quæ componit numeros.

Numerica, quæ ſequitur differentiam indiuidualem, & afficit naturam ſingularem.

Formalis, quæ cuiuſque rei eſſentiam, ſiue rationem formalem conſequitur, vt eſſentia naturæ humanæ, quæ, ſecundum ſe, dicitur vna, vnitate formali, abſtrahitque ab vnitate numerica, & vniuerſali.

Denique vnitas vniuerſalis, quæ naturis communibus aduenit per operationem intellectus, vt docetur in Logica.

Omne ens, quatenus ens eſt, nempe, provt eſt actu, aut eſſe poteſt, conformitatem aliquam habet, qua diuino intellectui reſpondet, eique dicitur conformis, ex qua conformitate nata, dicitur veritas rebus omnibus, qua res ſunt, conueniens: ens enim eatenus verum eſt, quatenus diuinis ideis eſt conforme.

Veritas [illegible]erſim eſt conformitas, ſiue adæquatio rei, & intellectus, qua nempe res intelligitur, provt eſt.

Veritas in triplici rerum genere exiſtit, ex t. 6. lib. 6. Metaph. & ex cap. 6. lib. de Interpret. ſed diuerſo modo, in intellectu quidem

formaliter, in rebus intellectis, fundamentaliter, in voce, ſiue ſcriptis ſignificatiuè, vel repræſentatiuè.

Veritas, à qua res creatæ dicuntur veræ, eſt conformitas earum cum intellectu diuino, ſiue cum ideis, rationibuſve formalibus ipſarum, quæ ſunt in mente diuina, quod ex eo apparet, quia veritas cuiuſque eſt propria, & prima ſui menſura: at hæ rationes formales quæ exiſtunt in mente diuina, quæque ſunt ipſamet mens diuina, ſunt propriæ ac primæ menſuræ rerum omnium: eſt ergo veritas cuiuſque rei, conformitas cum illis rationibus formalibus, ſiue diuinis conceptibus.

Facilè eſt hinc intelligere, quid ſit falſitas, eſt enim deuiatio ab intellectu diuino, nihil autem hoc modo falſum dici poteſt, niſi quod fictitium eſt, ac impoſſibile: nam quæcunque poſſibilia ſunt, vt ſic, rationem aliquam ſui habent in intellectu diuino, ac proinde transcendentaliter vera ſunt.

Res autem impropriè falſæ dicuntur, & quidem in ordine ad intellectum creatum, prout ſcilicet concipiuntur aliter quàm ſint, aut prout inducunt eundem intellectum in errorem præ nimia ſua obſcuritate.

Omne ens eſt bonum, Deus enim & quidquid præter ipſum eſt, bonum eſt, vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona, vt habetur lib. Geneſ.

Bonum rectè definitur id, quod omnia appetunt.

Bonitas autem conſiſtit abſolutè, in integri-

tate, & perfectione rei; ſecundariò tamen, & conſequenter in relatione conuenientiæ, & congruitatis.

Omne bonum finis eſt, & appetibile, finis quidem, vt in eius gratiam cætera fiunt, appetibile autem, provt eſt id quod omnia appetunt.

Malum eſt priuatio boni, non quidem tranſcendentalis; ſed peculiaris cuiuſpiam, puta vel naturalis, vel artificialis, vel moralis.

Malum enim non conuenit enti, vt ens eſt, ſed certis, ac determinatis entibus.

Malum naturale eſt defectus naturæ, ſiue abſentia perfectionis requiſitæ in corpore naturali.

Malum artificiale eſt error artificis in re artefacta.

Malum morale eſt exerratio à recta ratione in moribus, vt peccatum quodlibet.

Non poteſt dari ſummum malum, quod nempe adeo ſit malum, vt nulli bono adiunctum ſit; omne enim malum, cùm ſit priuatio boni cuiuſpiam peculiaris, eſt in ente aliquo, quod bonum eſt.

Ens omne actu eſt, vel potentia, neceſſe enim eſt, quod verè ens eſt, vel exiſtere actu, vel ſaltem poſſe exiſtere, ideo eſſe actu, vel potentia pertinet ad ens, vt complexa eius proprietas.

Sed differunt hæc inter ſe eſſe actu, vel potentia, eſſe actum, vel potentiam, eſſe in actu, vel in potentia.

Ens dicitur eſſe actu, quod verè exiſtit, eſſe potentia, quod nondum eſt, eſſe tamen poteſt.

Ens eſſe actum, eſt eſſe perfectionem, ſiue complementum alterius, eſſe potentiam, eſt eſſe aptum ad patiendum, vel agendum.

Ens eſſe in actu eſt ipſum habere actum aliquem, ſeu perfectionem, eſſe verò in potentia, eſt ipſum ens habere potentiam ad aliud; ita vt eſſe in actu, dicat modum quendam entis, quatenus habet aliquem actum; eſſe verò in potentia, dicat modum entis, quatenus habet potentiam ad aliquid.

Actus & potentia tribus modis ſpectantur; Primo, vt ſunt partes ſubiectiuæ, & tanquam inferiora entis; Secundo, vt principia entis interna, ſeu partes entis cõpleti, qua ſignificatione omne ens finitum, & completum dicitur conſtare actu, & potentia; Tertio, tanquam proprietates entis complexæ; & ſic actus, & potentia accipiuntur pro eſſe in actu, & in potentia, dicuntúrque modi entis.

Actus ſemper inuoluit quidpiam perfectionis; potentia verò actui oppoſita, quidpiam imperfectionis; ideo in quolibet compoſito ſiue phyſico, ſiue metaphyſico, pars nobilior, actus dicitur, deterior potentia: ſic in corpore naturali, forma dicitur actus, materia potentia. in toto metaphyſico genus, potentia, differentia, actus.

Quidquid aduenit, complet, perficit, actus eſt; quidquid ſuſcipit, completur, perficitur, potentia eſt.

Potentia vna ordinatur ad agendum, & dicitur actiua, vt potentia calefactiua in igne: altera ordinatur ad patiendum, & dicitur paſſiua, vt eſt aptitudo ligni, qua poteſt igneſcere vel calefieri.

Potentia actiua definitur, principium tranſmutandi efficienter, ſiue traducendi aliquid à non eſſe, ad eſſe; ſiue ſecundum ſubſtantiam, ſiue ſecundum accidens.

Cuilibet potentiæ actiuæ naturali, reſpondet paſſiua naturalis in eodem genere; diuinæ potentiæ reſpondent omnia poſſibilia.

Potentia obiectiua eadem eſt cum Logica, éſtque non repugnantia ad eſſe, ſiue mera rei poſſibilitas, vt ſunt mille mundi poſſibiles; dicuntur enim obiectiuè poſſibiles, quia non repugnat eos eſſe, & à Deo creari.

Theologi potentiam aliquam faciunt obedientialem in rebus naturalibus, per quam ſcilicet ſunt capaces bonorum ſupernaturalium, puta, fidei & gratiæ, vt res diuerſæ ſunt pluribus modis, ſic & eædem; tot enim modis idem dicitur, quod diuerſum.

Res autem tribus modis vulgò differre dicuntur; nempe diſtinctione reali, diſtinctione à natura rei, diſtinctione rationis; diſtinctio realis æſtimatur ex exiſtentia, diſtinctio à natura rei, ex eſſentia, diſtinctio rationis, ex noſtra ratione, ſiue mentis conceptu.

Diſtinctio itaque realis eſt, qua vnum ab alio ita differt, vt vtrumque ſeorſim exiſtere poſſit, ſaltem virtute diuina; ſic quantitas differt à corpore phyſico, ſiue à ſubſtantia materiali, eo quod quantitas, & ſubſtantia materialis poſſint à ſe inuicem ſeparari, & ſeparatim exiſtere, ſaltem diuina virtute; diſtinctio realis notiſſima eſt in rebus, quas natura ſeiunxit, puta in equis, leonibus, hominibus ſingulis inter ſe comparatis.

Diſtinctio à natura rei eſt,qua differunt res à ſe per propriam conditionem, & eſſentiam ſecluſa omni operatione intellectus: ſic figura differt à quantitate, non quod figura poſſit eſſe ſine quantitate, ſed quia figura aliam eſſentiam habet à quantitate.

Diſtinctio à natura rei triplex eſt; formalis, quæ fit per rationes formales diuerſas; modalis, quæ per modos; potentialis, quæ per partes integrantes à ſe inuicem poteſtate ſeparabiles: eſt enim potentialis diſtinctio inter partes aquæ, prout poſſunt à ſe inuicem ſeparari.

Notabis nos hæc duo membra diſtinctionis in vnum reuocare; nam iſta omnia realiter à ſe inuicem differunt; ea tamen, quæ ſunt prioris generis realiter maiori realitate, ſiue actuali vel exiſtentiæ: poſterioris verò minori realitate, vel formali, ſeu eſſentiæ.

Diſtinctio rationis ea eſt, quæ fit ſolo intellectu, éſtq. duplex, nẽpe rationis ratiocinantis, quæ fundamentum non habet, cur res fiant multiplices, vt cùm Petrus diſtinguitur à ſeipſo, quatenus eſt attributum, & ſubiectum, & rationis ratiocinatæ, quæ fit à ratione propter fundamentum, & occaſionem aliquam in rebus inuentam: ſic in lumine diſtinguimus, vim calefactitiam ab exſiccatiua, diſtinctione rationis ratiocinatæ; licet lumen ſit qualitas maximè vna, & ſimplex.

Neceſſarium eſt idomne, quod vno eodémque modo ſemper ſe habet, nec aliter eſſe poteſt.

Neceſſitas eſt modus entis, quo ſe habet immutabiliter. Neceſſarium dicitur, quoad eſſe, vt

Deus, cœli, aliud quoad fieri, quod nempe neceſſariò producitur; adeo vt eius productio non poſſit à producente cohiberi, vt ignis generans alium ignem in alio ligno.

Inter neceſſaria Deus eſt maximè neceſſarius. Ens, inquam, abſolutè & ſimpliciter neceſſarium: eſt enim Deus ens independens, ſibíque prorſus eſſentiale; cætera verò entia neceſſaria non ſunt niſi per efficientiam, habent enim eſſe dependens ab ente primo, ſcilicet Deo; hinc eſt quod res omnes creatæ, quoad eſſe, dici poſſint contingentes.

Quod verò Deus dicatur liber id non impedit, quo minùs ſit ens neceſſarium & immutabile; Primò enim liber eſt Deus ſecundum actus exteriores, quos Theologi vocant ad extra, qui ſcilicet exercentur extra diuinam eſſentiam in rebus creatis; Secundò, ea ſola libertas mutabilitatem arguit, quæ exerceri poteſt per actus oppoſitos, ac differentes: at verò diuina libertas ita ſe habet, vt non poſſit exerceri per actus oppoſitos in diuina eſſentia; omnes enim diuini actus, ſunt vna ſimpliciſſima potentia, immò eſſentia, immò actus vnicus, & ſimpliciſſimus, omnes alios actus diuerſiſſimos modo ineffabili complectens, atque vt loquuntur Theologi eminenter.

Contingens eſt illud omne, quod ita eſt, vt poſſit non eſſe, & quod ita fit, vt poſſit non fieri, vt ſunt ea omnia, quæ ad caſum & fortunam referuntur, de quibus in phyſicis; vt etiam ſunt ea quæ ab humana voluntate, & deliberatione dependent, ſcilicet actus morales, & liberi.

Contingentia ergo eſt modus entis, quo ſe habet mutabiliter, ſiue quoad eſſe, ſiue quoad fieri.

INTERVALLVM IV.

Diuiſio entis in ens per ſe, & ens in alio.

ENs vel per ſe eſt, vel per aliud, ſiue in alio; illud dicitur ſubſtantia, hoc accidens, ad hæc duo referuntur omnia quæcunque ſunt, aut eſſe poſſunt, vel realiter, vel obiectiuè.

AREOLA SVBSTANTIALIS, ET ACCIDENTARIA.

De ſubſtantia, & accidente.

Subſtantia ens per ſe ſubſiſtens.

Accidens eſt ens in alio inhærens, aptúmve inhærens: ergo cùm accidens eſſe nequeat niſi ope ſubſtantiæ ipſum ſubſtentantis, neque ſit ens niſi per ſubſtantiam, ſiue relationem ad ipſam, dicitur vulgò entis ens: atque adeo ens dicitur tantum analogicè per dependentiam vnius ab altero de ſubſtantia & accidente: ens enim primariò, ac per ſe conuenit ſubſtantiæ; minus autem præcipuè accidenti, nec ratio entis conuenit accidenti, niſi per ordinem ad ſubſtantiam: ſi enim nulla eſſet ſubſtantia, nullum etiam eſſet accidens; ergo ſubſtantia prior eſt, nobiliórque accidente.

Prior, inquam, definitione, ſiue ratione, quia ſubſtantia non definitur per accidens, ſed accidens definitur per ſubſtantiam.

Prior etiam tempore, quia datur quæpiam ſubſtantia, nempe Deus prior tempore omnibus accidentibus; & quia ſubiectum prius eſſe poteſt tempore eo accidente, quod in ipſo recipitur: at nullum accidens poteſt eſſe prius tempore ſubiecto ſuo.

Prior natura, quia omne ſubiectum natura prius eſt iis, quæ in ipſo ſunt; ſubſtantia autem eſt ſubiectum accidentium.

Prior dignitate, quia ſubſtantia ſimpliciter non dependet ab accidente, accidens autem dependet omnino à ſubſtantia.

Subſtantia, alia infinita eſt perfectione, ſcilicet & eſſentia, ſiue ſimpliciter, nempe Deus; alia finita, vt Angelus, homo.

Finita ſubſtantia, alia dicitur completa, ſiue compoſita, vt homo; alia incompleta, & ſimplex, vt anima.

Igitur ſubſtantia finita, & completa conſtant, ſcilicet partibus requiſitis, facit categoriam ſubſtantiæ, in qua Deus præeminentia, ac infinitate naturæ minimè comprehenditur.

Subſtantia verò categorica diuiditur in ſpiritalem, vt ſunt omnes ordines Angelorum, & Dæmonum; & in corpoream, ſiue materialem, vt ſunt omnia corpora tam ſimplicia, quàm mixta; tam animata, quàm inanimata.

Accidens, quia non vnum eſt ſynonymè, ſed inæqualiter, modíſque diuerſis per prius, ac poſterius participatum à diuerſis generibus accidentium: ideo vnam non facit categoriam, ſed in 9. claſſes diſtinguitur: quantitatem, ſcilicet, relationem, qualitatem, &c. de quibus in Logicis.

INTERVALLVM V.

Metaphyſicus diſputat ex profeſſo de ſubſtantia ſpiritali increata, & creata.

SPIRITVVM Theoria,& conſideratio ad Inſtitutum Metaphyſicum omnino pertinet: de iis enim omnibus ex profeſſo agit Metaphyſicus,quæ non ſunt inuoluta, aut neceſſariò addicta materiæ,ſiue corporibus naturalibus; vt ergo de corporibus phyſicis agit phyſiologia, quæ eſt ſcientia naturalis; ſic etiam de ſpiritibus agit Theologia, quæ eſt ſcientia tranſnaturalis, ſiue Metaphyſica.

Spiritus autem,ſeu ſubſtantia ſpiritalis,vna increata,& infinita,ſcilicet Deus,creata altera,ſiue finita,vt Angelus.

AREOLA DIVINA.

De ſubſtantia ſpirituali increata, nempe Deo.

Vt oculus noctuæ, aut veſpertilionis ad meridianum Solem, lumênve diurnum, inquit Ariſtoteles cap.1.lib.2. Metaph. ſic ſe humana mens ad res altiſſimas habet, quamquam manifeſtiſſimas: omnino enim caligat oculus humani ingenij ad res diuinas, & cæcuteſcit in Deo ipſo intelligendo,cuius nimia claritas,perfectióque infinita, intelligentiam naturæ prorſus hebetat, quamquam poteſt tamen intellectus, etiam naturæ lumine, quædam de Deo noſſe, neque tantùm

tùm quod ſit Deus, ſed etiam quid ſit; obſcuro tamen ac imperfecto modo. ſi quidem colligimus Deum eſſe ens infinitum, ſubſtantiam increatam, actum puriſſimum, cauſam verè primam, ſummum bonum, altiſſimum, incomprehenſibile; quæ omnia eſſentialiter Deo competunt, ac propriè. ſed exquiſitam, perfectámque Dei notitiam, nemo naturæ viribus aſſequi poteſt; immò verò ſcribit Apoſtolus nos, fidei licet lumine illuſtratos, ex parte Deum duntaxat cognoſcere, & veluti per ſpeculum; ſolus ergo Deus quidditatiuè, vt loquuntur, id eſt perfectè ſecundum quod in ſe eſt, forma, actu, ac eſſentia ſemetipſum concipit, ac intelligit per ſe, perfectiſſimáque notitia comprehendit. Conceptus autem illi, quos de Deo poſſumus efformare; alij ſunt purè negatiui, vt cùm concipimus Deum immortalem, infinitum, independentem, increatum; alij purè relatiui, vt cùm Deum agnoſcimus, creatorem, gubernatorem, dominum; alij abſoluti, & poſitiui, vt cùm intelligimus Deum eſſe ſolum ens, actum purum, ſapientiſſimum, iuſtiſſimum. Sed tales conceptus ab intellectu creato formati, nō ſunt quidditatiui, adeo vt per illos Dei eſſentiam penetremus; modus enim noſter intelligendi finitus eſt; ideóque infinitum comprehendere nequit.

Apoſtolus Galliarum ſanctus Dionyſius viam agnoſcendi Deum facit triplicem; Primam vocat cauſalitatis, quando à rebus ipſis effectis ad cauſam primam efficientem progredimur; Secundam eminentiæ, quando perfectionem omnem rerum omnium Deo tribuimus, nobiliſſi-

mo modo; Tertiam remotionis, quando à diui-na eſſentia remouemus creaturarum imperfe-ctiones.

Ordo rerum admirabilis manifeſtè demon-ſtrat aduerſus Atheos,& impios Deum eſſe : ta-lis enim ordo ſine ordinante,id eſt Deo,eſſe ne-quit;ſed ordo ille æſtimatur maximè è cauſis ef-ficientibus ſibi ſubordinatis; is enim cauſarum ordo eſt,vt prima ſit cauſa mediæ,media vltimæ; quo fit vt ſublata prima, tollatur media, adeó-que vltima; idem demonſtrat quod non detur progreſſus in infinitum; neceſſe eſt enim dari primum mouens, quod cætera moueat immo-tum,quod eſt Deus. Tertiò datur ens per ſe ne-ceſſarium, & omnino à ſe, quod nempe à nullo alio,ſed in ſeipſo habet eſſe : ergo datur ens æter-num,& increatum,nempe Deus,antecedens no-tum eſt, alioqui daretur proceſſus in infinitum, ſi omne ens ab alio penderet: denique quis eſt tam vecors, inquit M.Tullius, qui cùm ſuſpexit in cœlum, Deum eſſe non ſentiat; certè nulla gens, inquit ille ipſe, eſt, quæ non habeat præ-notionem,quod Deus ſit.

Deum inueniſſe haud facile eſt; intellexiſſe autem impoſſibile, inquit Plato : eſt enim Deus indictum quid,& innominatum,inquit Dionyſ. cap.1.libri de diuinis nominibus : cur ergo quæ-ris nomen meum,quod eſt mirabile, Geneſis 32. hæc tamen de Deo oris humani paupertas audet balbutire.

Deus eſt mens, quæ ex aqua omnia formauit, aiebat Tales Mileſius.

Deus eſt animus per vniuerſas mundi partes,

omnémque naturam commeans, & diffuſus, ex quo omnia, quæ naſcuntur animalia, vitam capiunt. Pythagor.

Deus eſt mens infinita, quæ per ſeipſam mouetur. Anaxagoras.

Deus eſt omnium dominus, factor, pater, omnia vnum exiſtentia, vnum omnia exiſtens. Mercurius Triſmegiſtus.

Deus eſt mens vniuerſi; quod vides totum, & quod non vides. Seneca.

Deus eſt longitudo, latitudo, ſublimitas, & profundum. Sanctus Bernardus.

Sed hæc eſt Dei deſcriptio perdocta, inquit Cælius Rodiginus, Deus eſt ratio rationum, fons, rerúmque artifex omnium, forma vniformis, & omniformis, ſubſtantia immobilis omnia mouens, in motu ſtatus, in tempore æternitas, in ſummis profunditas, ſummitas in profundis, in multitudine vnitas, in debilitate poteſtas, natura naturarum fœcundiſſima, fœcunditas fœcunditatum naturaliſſima, æterna vitarum vita, ſenſus ſenſibilium, ſenſuum lumen, & perſpicacia, intelligentia talis, vti ipſa rerum intelligendarum ſit bonitas, & intellectus cuiuſlibet veritas, & gaudium voluntatis ſuauiſſimum.

Philoſophica Dei deſcriptio eſt, qua dicitur Deus ens abſolutè primum vndequaque perfectum, omnis compoſitionis expers, immutabile, æternum, vnum, infinitum, rerum omnium cauſa optima, maxima, potentiſſima.

Deus vbique eſt, & immenſitate ſuæ eſſentiæ omnia replet; replet, inquam, non quaſi ſpatium occupet inſtar corporum, ſed quod admirabili

modo adſit rebus omnibus, & agat cum ipſis; aiunt Theologi, Deum vbique eſſe per præſentiam, potentiam, & eſſentiam, quia omnia videt, in omnibus operatur; omnia permeat, & penetrat.

Diuinæ actiones aliæ ſunt immanentes, quæ dicuntur à Theologis, ad intra, aliæ tranſeuntes, quæ dicuntur, ad extra: illæ ſunt intellectiones, & volitiones, quas Deus in ſe elicit, vt eſt generatiō Verbi diuini, comprehenſio creaturarum, tam actualium, quàm poſſibilium, amor perſonarum diuinarum, quæ omnes actiones ab æterno extiterunt in diuina natura: hæ verò ſcilicet actiones ad extra, licet formaliter ſpectatæ, ſunt in Deo ab æterno; tamen tranſeuntes ſunt executiones diuinæ voluntatis in creaturis, cuiuſmodi eſt ipſa rerum creatio, conſeruatio. Operationes autem ad extra, nullam in Deo arguunt mutationem, ſed tantùm in creaturis; Deus enim ab æterno voluit, quod quotidie fit, & in tempore factum fuit, aut eſt futurum.

Attributa, ſiue proprietates diuinæ ſunt infinitæ illæ perfectiones quæ Deo competunt, vt eſſe æternum, eſſe immutabile, optimum, maximum, ſapientem, iuſtum, clementem, quæ omnia vnum ſunt, & planè idem in eſſe Dei, diſtinguuntúrque ſola ratione ratiocinata: ergo ſicuti lumen vnica eſt ſimplex qualitas, nullam admittens diſtinctionem naturæ in genere qualitatis, licet eminenter contineat alias qualitates, puta, calorem, ſiccitatem; ita natura diuina, eſt actus aliquis maximè purus, ſimplex, vnus, qui modo eminentiſſimo, ac prorſus ineffabili continet

infinitas perfectiones, quæ vulgò à Theologis attributa nominantur.

Intervallvm VI.

Quid nomine intelligentiæ ſignificetur.

INTELLIGENTIÆ nomen latiùs ſumptum, ſubſtantias omnes immateriales comprehendit, etiam Deum ipſum; ſic à Peripateticis dicitur Deus, prima intelligentia; ſpecialiùs verò eſt ſubſtantia ſpiritalis completa, & finita, vt ſunt Angeli, ſiue Dæmones, ſpiritúſque quilibet, & quos Genios appellabat antiquitas.

Intelligentiæ autem dicuntur à perfectiſſima ratione intelligendi, quâ præditæ ſunt; vident enim concluſiones in principiis, & omnia ſimplici intuitu comprehendunt; dicuntur verò Angeli à Græcis, id eſt Nuntij, eò quod ad homines mittantur diuino iuſſu.

Areola Angelica.

De ſubſtantia ſpirituali creata, nempe Angelis.

Intelligentias, ſiue Angelos agnouit Ariſtoteles è motu cœlorum, vt conſtat ex 8. lib. phyſicor. & ex lib. 12. metaphyſicorum, ſed & ratio naturalis perſuadet; ſi quidem pertinebat ad perfectionem vniuerſi, vt in eo eſſet ordo ſubſtantiarum immaterialium completarum: at Deus vniuerſum mundum perfectum condidit, vt ipſa rerum naturalium pulchritudo demonſtrat: ergo reuera exſtant ſubſtantiæ immateriales, comple-

modo adſit rebus omnibus, & agat cum ipſis; aiunt Theologi, Deum vbique eſſe per præſentiam, potentiam, & eſſentiam, quia omnia videt, in omnibus operatur; omnia permeat, & penetrat.

Diuinæ actiones aliæ ſunt immanentes, quæ dicuntur à Theologis, ad intra, aliæ tranſeuntes, quæ dicuntur, ad extra: illæ ſunt intellectiones, & volitiones, quas Deus in ſe elicit, vt eſt generatio Verbi diuini, comprehenſio creaturarum, tam actualium, quàm poſſibilium, amor perſonarum diuinarum, quæ omnes actiones ab æterno extiterunt in diuina natura: hæ verò ſcilicet actiones ad extra, licet formaliter ſpectatæ, ſunt in Deo ab æterno; tamen tranſeuntes ſunt executiones diuinæ voluntatis in creaturis, cuiuſmodi eſt ipſa rerum creatio, conſeruatio. Operationes autem ad extra, nullam in Deo arguunt mutationem, ſed tantùm in creaturis; Deus enim ab æterno voluit, quod quotidie fit, & in tempore factum fuit, aut eſt futurum.

Attributa, ſiue proprietates diuinæ ſunt infinitæ illæ perfectiones quæ Deo competunt, vt eſſe æternum, eſſe immutabile, optimum, maximum, ſapientem, iuſtum, clementem, quæ omnia vnum ſunt, & planè idem in eſſe Dei, diſtinguuntúrque ſola ratione ratiocinata: ergo ſicuti lumen vnica eſt ſimplex qualitas, nullam admittens diſtinctionem naturæ in genere qualitatis, licet eminenter contineat alias qualitates, puta, calorem, ſiccitatem; ita natura diuina, eſt actus aliquis maximè purus, ſimplex, vnus, qui modo eminentiſſimo, ac prorſus ineffabili continet

infinitas perfectiones, quæ vulgò à Theologis attributa nominantur.

INTERVALLVM VI.

Quid nomine intelligentiæ ſignificetur.

INTELLIGENTIÆ nomen latiùs ſumptum, ſubſtantias omnes immateriales comprehendit, etiam Deum ipſum; ſic à Peripateticis dicitur Deus, prima intelligentia; ſpecialiùs verò eſt ſubſtantia ſpiritalis completa, & finita, vt ſunt Angeli, ſiue Dæmones, ſpiritúſque quilibet, & quos Genios appellabat antiquitas.

Intelligentiæ autem dicuntur à perfectiſſima ratione intelligendi, quâ præditæ ſunt; vident enim concluſiones in principiis, & omnia ſimplici intuitu comprehendunt; dicuntur verò Angeli à Græcis, id eſt Nuntij, eò quod ad homines mittantur diuino iuſſu.

AREOLA ANGELICA.

De ſubſtantia ſpirituali creata, nempe Angelis.

Intelligentias, ſiue Angelos agnouit Ariſtoteles è motu cœlorum, vt conſtat ex 8. lib. phyſicor. & ex lib. 12. metaphyſicorum, ſed & ratio naturalis perſuadet; ſi quidem pertinebat ad perfectionem vniuerſi, vt in eo eſſet ordo ſubſtantiarum immaterialium completarum: at Deus vniuerſum mundum perfectum condidit, vt ipſa rerum naturalium pulchritudo demonſtrat: ergo reuera exſtant ſubſtantiæ immateriales, comple-

tæ, & finitæ, id eſt, Angeli; alioqui rerum vniuerſitas manca eſſet, & imperfecta, præterea eſſe Angelos fides docet. Denique idem probant euenta plurima, vt agitationes Energumenorum, id eſt, eorum qui à dæmonibus vulgò dicuntur poſſeſſi; item Oracula Paganorum, effecta artis magicæ, apparitiones phantaſmatum, diuinationes, & vaticinia; hæc enim non aliter fieri dicuntur, quàm opera Dæmonum, ſiue Angelorum.

Intelligentia eſt ſubſtantia finita, creata, completa, purè ſpiritalis intelligentiæ capax, & libertatis.

Hæc definitio docet intelligentias, ſiue Angelos non conſtare materia, & forma; quod tamen plerique crediderunt ante aliquot ſecula in Eccleſia Chriſtiana, aientes Angelos conſtare corpore tenui, & aërio: qui tamen erroris condemnati ſunt in Concilio Lateranenſi. Tertiò docet eadem definitio, Angelos eſſe ſubſtantias categoricas: ſunt enim res completæ, & finitæ ſuo genere, ac differentia conſtantes; Genus Angeli eſt, vt ſit ſubſtantia finita, creata, completa; hac enim parte conuenit Angelus cum corpore quolibet; omne ſi quidem corpus ſubſtantia eſt finita, completa, & creata; differentia verò eſt, quod Angelus ſit purè & completè ſpiritalis, capax libertatis, & intelligentiæ; anima enim rationalis, licet non ſit corporea propriè loquendo, ſed ſpiritalis, non eſt tamen purè, & completè ſpiritalis; eſt enim pars alicuius corporis phyſici, ſcilicet hominis.

Angelorum lapſum, & fœlicitatem non agnouit Ariſtoteles, ſed id Chriſtiana tantùm fide innotuit.

Paucas agnouerunt Peripatetici intelligentias, quippe, quippe, qui è cœleſti motu æſtimarunt: ideo tot intelligentias, quot orbes, alij 7. alij 10. alij 47. & alij 49. pro numero orbium partialium.

Platonici intelligentias ferè innumerabiles adſtruxerunt; ſi quidem alias aërias dicebant, alias igneas, alias terreſtres.

Chriſtiani credunt ingentem eſſe numerum Angelorum, iuxta illud Danielis cap. 7. millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei: hic enim locus intelligitur de Angelis, vbi ponitur numerus certus pro incerto.

Legiones Angelorum in tres Hierarchias diſtinguunt Theologi; vnaquæque autem Hierarchia conſtat tribus ordinibus; Prima Hierarchia continet Seraphinos, Cherubinos, Thronos; Secunda Dominationes, Virtutes, Poteſtates; Tertia Principatus, Archangelos, Angelos.

Differunt Angeli moribus; alij enim boni, alij mali; differunt etiam officio; alij enim deſtinati ſunt à Deo in cuſtodiam vniuſcuiuſque noſtrûm; alij in cuſtodiam ciuitatum; alij in cuſtodiam regionum. Creditur ſanctus Michaël præeſſe noſtræ Galliæ, immò noſtro ordini, eſſéque illius propugnator. Denique differunt natura, & ſpecie; quot enim ſunt Angeli, tot creduntur Diuo Thomæ naturæ differentis, ita vt quilibet Angelus ſuam ſpeciem conſtituat.

ISAGOGE ASTRONOMICA.

Hanc Iſagogen in duos tractatus diſtinguimus: dicturi in primo de quatuor principiis geometricis, puncto, linea, ſuperficie, & corpore; ſine quibus doctrina aſtronomica vix, ac ne vix quidem poteſt intelligi. In ſecundo de Sphæra materiali ſiue artificiali, vt viam ſternamus ad ſecundam partem noſtræ Phyſices, in qua Sphæram coſmicam ſiue mundanam cum ſuis partibus tùm elementaribus, tùm cœleſtibus explicamus.

TRACTATVS PRIMVS.

De principiis Geometricis.

CAPVT PRIMVM.

De Puncto.

QVATVOR ſunt Geometrica principia, ſine quorum notitia Aſtronomicæ difficultates intelligi minimè poſſunt; illa ſunt punctum, linea, ſuperficies, corpus.

Quod ſpectat ad punctum, Græcis σημεῖον, non eſt magnitudo, ſed principium magnitudinis, ex cuius fluxu in longum fit linea, finitur autem ab Euclide punctum, id cuius pars nulla eſt: quæ definitio intelligi debet de punctò mathematico, non autem phyſico: hæc enim duo puncta

ſic inter ſe differunt, vt punctum Mathematicum ſit quiddam immateriale, indiuiſibile, & cognitione à materia ſeparatum; quoniam Mathematici conſiderant quantitatem ſeparatam à materia: punctum verò Phyſicum eſt quiddam materiale, quod à ſenſibus cognoſci poteſt; quia Phyſici conſiderant quantitatem prout hæret in materia, ſenſibúſque percipi poteſt.

Quatuor autem pũctorum in ſphærica doctrina fit mentio; nempe, centrorum, polorum, punctorum contactus, & interſectionum.

Centrum eſt medius ille punctus globi, à quo radij, ſeu lineæ productæ, ad omnem ſphæræ peripheriam, ſunt æquales.

Poli, ſi nominis vim ſpectes, dicuntur ἀπὸ τοῦ πολεῖν, id eſt, à vertendo, vnde à Latinis appellantur vertices, & cardines.

Sunt autem duplices Poli, quidam ſphærarum, quidam circulorum exiſtentium in ſphæra: Poli ſphæræ, ſunt duo puncta, quæ terminant axem traiectum per centrum ſphæræ, circa quæ ſphæra ipſa voluitur. Poli circulorum qui in ſphæra deſcribuntur, ſunt puncta conſtituta in ſuperficie ſphæræ, à quibus omnes lineæ rectæ, ad circuli circumferentiam ductæ inuicem ſunt æquales.

Porrò licet ſinguli circuli maiores, ſuos habeant eóſque proprios polos, tamen in elementis ſphæricis, vſitatè ſolùm mentio fit trium polorum, videlicet, mundi ſeu æquatoris, zodiaci, & horizontis.

Poli mundi ſunt duo puncta, axem mundi ſeu æquatoris vtrimque terminantia, circa quæ,

cœlum ſeu æquator, qui eſt regula motus cæli, voluitur. Polus ille, qui à nobis in Europa degentibus, perpetuò ſupra horizontem eleuatus apparet, appellatur πόλος βόρειος, id eſt, polus Septentrionalis & arcticus: alter verò illi è diametro oppoſitus, qui nunquam à nobis cernitur, cùm perpetuò ſub noſtro hemiſphærio deliteſcat ad plagam meridionalem, dicitur πόλος νότιος, id eſt, polus Meridionalis & antarcticus. Prior dicitur Septentrionalis, quia à nobis habitantibus citra æquatorem, cernitur verſus plagam Septentrionalem, & quo magis verſus illam plagam progredimur, eò altiùs attolli videtur: vocatur verò arcticus, quia vicinus eſt ſtellæ, quæ apparet in extrema cauda Vrſæ minoris, à qua diſtat ſolùm tribus circiter gradibus: Polus verò oppoſitus ſempérque deliteſcens, meridionalis appellatur; quia conſpicitur eleuari in Medietate vltra æquatorem verſus Meridiem vergente; antarcticus autem, quia arctico opponitur. Deſcribit vtrumque polum Latinus Poëta his verſibus.

Hic vertex nobis ſemper ſublimis, at illum
Sub pedibus ſtix atra videt, manéſque profundi.

Poli zodiaci ſunt puncta extrema axis zodiaci, quæ à polis mundi tantùm diſtant, quanta eſt maxima declinatio eclipticæ ab æquatore, hoc eſt, gradibus 23. minutis 28. ſecundis 30. Polus alter qui ſupra horizontem à nobis ſemper viſitur, vocatur polus Borealis, alter verò Meridionalis.

Poli horizontis, ſunt duo puncta extrema lineæ ex centro mundi per verticem cuiuſque loci

& punctum ex diametro oppoſitum ductæ, quorum illud, quod imminet vertici cuiuſque loci, à Græcis vocatur σημεῖον κατὰ κορυφήν, ab Arabibus verò Zenith; oppoſitum autem Nadir. Omnibus polis proprium eſt diſtare à ſuis circulis, quorum ſunt poli, quadrante circuli, id eſt 90. gradibus.

Puncta contactus ſunt, in quibus diuerſi circuli ſe contingunt abſque ſectione; cùm verò ſe contingunt circũferentiis exterioribus, ſeu conuexis, dicuntur Græcè ἐκτὸς ἁφαί: cùm autem circumferentiis diuerſis, id eſt conuexis & concauis, dicuntur ἐντὸς ἁφαί. Circulus autem circulum non tangit in pluribus quàm in vno ſigno.

Puncta interſectionum, quibus ſe duo circuli interſecant, vocantur à Græcis σύνδεσμοι. Circulus verò non ſecat circulum in pluribus quàm duobus punctis, vt ſcribit Euclides lib. 3. propoſ. 10. quare cùm hoc modo ſe via Solis, & via Lunæ interſecent, punctum illud quod verſus Septentrionem declinat, appellatur σύνδεσμος ἀναβιβάζων, id eſt, nodus aſcendens, quia Luna ab hoc puncto mouetur verſus noſtrum verticem, id eſt, verſus latitudinem Septentrionalem; illud verò quod declinat verſus Meridiem, dicitur σύνδεσμος καταβιβάζων, id eſt, nodus deuehens; Luna quippe in eo exiſtens incipit moueri à noſtro vertice verſus oppoſitum, hoc eſt, verſus latitudinem meridionalem, appellantúrque vulgò caput & cauda Draconis.

Capvt II.

De linea.

Linea, quam Græci γραμμὴν vocant, eſt longitudo ſine latitudine & profunditate: eáque duplex eſt ἁπλῆ ἢ μικτη, hoc eſt, ſimplex & mixta; ſimplex illa dicitur, quæ eſt vniformis, nec componitur ex diuerſis lineis, cuiuſmodi ſunt linea recta & circularis.

Recta linea Græcis εὐθεῖα γραμμὴ, ea eſt à puncto ad punctum breuiſſima extenſio; vel vt Euclides definit, quæ ſua exæquat puncta, ſeu quæ æquo ſua interiacet puncta. Eius ſpecies ſunt Diameter, Diagonalis, Axis, lineæ paralleli, lineæ non paralleli, & perpendicularis.

Diameter ſeu dimetiens eſt linea recta figuram diuidens in partes æquales, quocunque modo id fiat; quales lineas licet plures imaginari in vnica ſphæra, ſi nempe, lineæ per centrum ducantur in has & illas circumferentiæ partes per viam rectã.

Diagonalis, quę Græcè διαγώνιος dicitur, eſt linea recta quę ab vno quadrilateri angulo, ad oppoſitum angulum ducitur, diuidens quadrilaterum in duo triangula; vel vt Vitruuio placet lib. 9. cap. 1. eſt linea ab angulo ad angulum perducta.

Axis eſt linea tranſiens per centrum circuli, ſeu ſphæræ, cuius extremitates circumferentiam ſphæræ ſeu circuli attingunt, circa quam ſphæra voluitur, ipſa immobili manente, eius extrema dicuntur poli.

Lineæ paralleli, illæ dicuntur quæ æqualiter vbique à ſe inuicem diſtantes, nunquam concurrunt, licet in infinitum producerentur.

Lineæ verò non paralleli non diſtant æqualiter à ſe inuicem, ſed in vna parte propiùs ad ſe accedunt, quàm in alia, ideòque productæ concurrunt.

Linea perpendicularis, quę & normalis, appellatur à Græcis κάθετος, eſt linea quæ efficit angulos vtrobique æquales, cum alia cui inſiſtit: non perpendicularis autem ea eſt, quæ angulos conſtituit inæquales cum alia.

Linea circularis, quę Græcè dicitur γραμμὴ περιφερὴς, vel περιφέρεια, vel περίμετρος, Latinè verò linea, ambitus, & circumferentia. Eſt linea circularis ambiens & continens planam circuli aream, ad quam ex centro lineæ rectæ ductæ, ſunt omnes inter ſe æquales. Linea mixta illa dicitur, quæ componitur ex recta & curua ſiue circulari inuicem permixtis; habet multas differentias ſecundum diuerſitatem compoſitionis: ad eam referuntur ἕλικες, quæ Geometris ſunt Spiræ ſeu lineæ vel circuli in modum tortilis pampini circunducti, nec in ſe redeuntes: harum diuerſæ ſunt ſpecies ſecundum diuerſitatem circumuolutionis, alia eſt enim ἀπειρικὴ, id eſt interminata: alia κυλινδρικὴ: alia κερατοειδὴς, hoc eſt, cornu ſpeciem & formam habens: alia κοχλοειδὴς, id eſt, in modum conchæ: alia στρομβοειδὴς, hoc eſt turbinis ſeu coni formam gerens, &c. quæ ſortiuntur appellationes à rerum figura quas circumuolutione effingunt.

Capvt III.

De ſuperficie.

Svperficies, Græcis ἐπιφάνεια, eſt longitudo & latitudo ſine profunditate, cuius extrema ſunt lineæ: ſicut enim linea fit ex fluxu puncti in longum; ita ſuperficies fit ex ductu lineæ in latum.

Duplex eſt ſuperficies, vna ſimplex; altera mixta. Simplex eſt quæ conſtituitur ex lineis ſimplicibus & vniformibus, ſiue rectæ ſint, ſiue circulares; ſubdiuiditúrque in planam, & ſphæricam.

Plana ſuperficies, ἐπίπεδος ἐπιφάνεια, eſt quæ exæquat rectas ſuas lineas quibus finitur, itaut medium non aſſurgat altius extremis ſeu terminis, neque infra eoſdem deprimatur.

Superficies ſphærica eſt quę non exæquat ſuos terminos, ſed à centro vndique æqualiter abeſt: diuiditur in concauam, & conuexam.

Conuexa ſuperficies, κυρτὴ ἐπιφάνεια, eſt exterior ambitus ſphæræ vel corporum rotundorum, qualis eſt pomorum, vel ouorum, aut etiam terræ cui inſiſtimus exterior ſuperficies.

Concaua, κοίλη ἐπιφάνεια, eſt interior ambitus in orbe cauo aut corporibus excauatis; qualis eſt interior ſuperficies ouorum quę recipit humores, vel illa ſuperficies cæli quam conſpicimus. Mixta ſuperficies componitur ex plana & ſphærica, qualis eſt ſemicirculus, aut ſegmentum circuli maius vel minus ſemicirculo.

Proprium linearum & ſuperficierum eſt conſtituere concurſu ſuo mutuo angulos & figuras.

Angulus Græcè γωνία eſt duarum linearum, vel plurium quàm duarum ſuperficierum non in directum poſitarum, & terminis ſuis ſe inuicem contingentium mutua inclinatio. Duplex eſt angulus; vnus ſolidus, alter planus.

Solidus angulus definitur ab Euclide lib. 11. definitione 11. Angulus comprehenſus ſub pluribus angulis, quàm duobus, planis, non conſiſtentibus in eodem plano, ſed ad vnum punctum collectis.

Angulus planus, eſt mutua inclinatio duarum linearum ad ſe inuicem, in eodem plano, non in directum iacentium. Eſt autem triplex angulus planus; nempe rectilineus, curuilineus & mixtus.

Rectilineus eſt ille quem conſtituunt rectæ lineæ ad ſe inuicem inclinatæ in eodem plano, ſed non in directum poſitæ.

Curuilineus ille eſt, quem efficiunt lineæ circulares in eadem ſuperficie, ſiue plana, ſiue circulari, non in directum poſitæ.

Mixtus eſt ille, quem conſtituunt lineæ circulares & rectæ, in eodem plano non in directum poſitæ.

Porrò diuiduntur anguli rectilinei & ſphærici tùm ratione poſitionis, tùm ratione quantitatis diuerſæ: ratione quidem poſitionis quadrupliciter; vel enim ſunt anguli ἐφεξῆς, hoc eſt, continui ſeu contigui quos conſtituit linea recta, rectæ lineæ quomodocumque inſiſtens; vel ſunt anguli κατὰ κορυφὴν, id eſt, ad verticem ſiue ad

punctum, in quo duæ lineæ rectæ ſeſe ſecant, oppoſiti; vel ſunt anguli ἐναλλάξ, hoc eſt alterni & permutatim poſiti, quos efficit linea recta incidens in parallelos, vel non parallelos, eáſque ſecans; vel ſunt anguli ἀπεναντίον, quos linea recta incidens in parallelos, vel non parallelos efficit ex eadem parte oppoſiti, quorum vnus eſt exterior, alter verò interior. Ratione verò quantitatis diuiduntur trifariam; vel enim ſunt recti, vel acuti, vel obtuſi.

Rectus angulus ille eſt, qui fit ex concurſu lineæ perpendicularis in lineam rectam.

Acutus eſt recto minor. Obtuſus recto maior.

Figura eſt quæ vno aut pluribus terminis circunſcribitur: vno, vt circulus; pluribus, vt triangulus. Figura diuiditur in planam, & ſolidam; vtraque in rectilineam, curuilineam, & mixtam: hîc agemus de planis, & in ſequenti capite de ſolidis.

Figura rectilinea vel eſt trilatera, vel quadrilatera, vel multilatera, quæ ſub ſe continet infinitas ſpecies, prout in infinitum addi poſſunt latera.

Triangulus eſt figura plana tribus lineis comprehenſa. Diuiditur autem bifariam: Primò ratione laterum in tres ſpecies, ſcilicet Iſopleuron, ſeu æquilaterum, in quo tria latera ſunt æqualia; Iſoceles, quod habet tantùm duo latera æqualia; & ſcalenon, quod habet omnia tria latera inæqualia. Secundò ratione angulorum in totidem ſpecies diuiditur: nam vel conſtat ex vno recto angulo, & vocatur ὀρθογώνιον, ſeu rectangulum; aut tribus acutis angulis, & vocatur

catur ὀξυγώνιον ſeu acuti-angulum; aut vno obtuſo, & vocatur ἀμβλυγώνιον ſeu obtuſi angulum.

Quadrilaterarum figurarum aliæ æquilateræ & rectangulæ, vt quadratum; aliæ rectangulæ ſed non æquilateræ, vt quadrilaterum altera parte longius; aliæ æquilateræ & non rectangulæ, vt Rhombus; aliæ neque rectangulæ neque æquilateræ, vt Rhomboides. Reliquæ omnes quadrilateræ figuræ vocantur trapeſia ſeu irregulares, quæ nec latera omnia æqualia, nec omnes rectos angulos habent. Sub figura multilatera, quæ ſcilicet habet plura latera quàm quatuor, continentur omnes figuræ quæ vulgò denominantur à numero angulorum πεντάγωνα, ἑξάγωνα & ſic in infinitum.

Figura curuilinea in planis eſt, quę fit ex linea curua, cuius generis ſunt variæ ſpecies; vt circulus, figura oualis, lenticularis, conchalis, lunaris, &c.

Circulus eſt linea plana vna περιφέρεια ſeu circumferentia comprehenſa, à cuius medio puncto, quod centrum dicitur, omnes lineæ ductæ ad circumferentiam ſunt æquales; cuius media pars, diuiſa per diametrum, vocatur ſemicirculus; & quarta pars, diſtincta per ſemidiametrum, dicitur quadrans.

Oualis appellatur ea quæ refert ſimilitudinem oui, ſicut lenticularis ob ſimilitudinem fructus lenticularis; & conchalis, ob figuram conchæ; & Lunaris, ou ſpeciem Lunæ.

Tres ſunt ſpecies figuræ mixtæ, nempe ſemicirculus, ſegmentum maius, & ſegmentum minus.

Semicirculus conſtat ex circuli diametro, & ea circumferentia quam diameter abſcindit à toto circuli ambitu.

Segmentum maius eſt portio circuli maior ſemicirculo, hoc eſt, figura plana mixta, quam includit linea recta, & pars circumferentiæ maior dimidia.

Segmentum minus eſt portio minor ſemicirculo, ſeu figura plana mixta, quam linea recta, & pars circumferentiæ dimidia minor, comprehendit.

Capvt IV.

De Corpore.

Figvra ſolida eſt corpus altera quantitatis continuæ ſpecies, quod longitudinem, latitudinem, & profunditatem habet, cuius extrema ſunt ſuperficies. Corporum alia ſunt regularia, alia irregularia. Regularia dicuntur ea quæ conſtant ex ſuperficiebus vniformibus. Irregularia verò quæ conſtant ex ſuperficiebus difformibus. Irregularia ſunt lenticulare, ouale, conchale, lunare; quę omnia inæquales & difformes habent ſuperficies, ſortiuntúrque nomen à figuris quas ſuperficies inducunt.

Corpora regularia duplicia ſunt, vel enim ſunt ſimplicia ſeu ſimilia, vel compoſita & diſſimilia. Compoſita ſunt quæ ex diuerſis & diſſimilibus conſtant ſuperficiebus, aut planis aut ſphæricis; vt Cylindrus, Conus, Hemiſphæ-

tium, & alia ſimilia : aut planis diuerſarum ſpecierum, vt Pyramis, Priſma.

Cylindros eſt corpus compoſitum ex circularibus ſuperficiebus planis & ſphæricis, factum à rectangulo parallelogrammo, vno latere circumducto, altero verò manente immobili & fixo.

Conus eſt corpus compoſitum ex ſuperficie plana circulari, & ſphærica, à baſi ampliore ad vnum faſtigium aſſurgens. Fit autem quando triangulum rectangulum, manente vno latere fixo circa angulum rectum, circumducitur, donec in ſe reuertatur.

Hemiſphærium eſt corpus compoſitum ex ſuperficie globi, dimidia & plana, longitudine reſpondente diametro, latitudine verò dimidiæ areæ globi.

Pyramis eſt figura ſolida ſiue corpus compoſitum ex planis ſuperficiebus aſſurgentibus ab vno plano ad vnum punctum : differt autem à Cono, quod in Cono ſuperficies quæ aſſurgit à baſi circulari ad vnum faſtigiũ, eſt ſphęrica; in pyramide verò conſtituitur ex ſuperficiebus triangularibus, ſiue tribus, ſiue quatuor, ſiue quinque, aut pluribus.

Priſma eſt figura ſolida compoſita ex planis ſuperficiebus, quarum inuicem oppoſitæ æquales ſunt ſimiles & paralleli; reliquæ verò parallelogrammæ.

Corpora ſimplicia ſunt in duplici differentia; quædam enim plana ſunt, quædam ſphærica.

Plana dicuntur quæ conſtant ex planis ſuper-

ficiebus, vt τετράεδρον, ὀκτάεδρον, δωδεκάεδρον, εἰκοσάεδρον & κῦβος. τετράεδρον eſt figura ſolida conſtans quatuor trigonis æqualibus & æquilateris. ὀκτάεδρον octo trigonis æqualibus & æquilateris: δωδεκάεδρον duodecim pentagonis æqualibus, æquilateris & æquiangulis. εἰκοσάεδρον viginti trigonis æqualibus & æquilateris. κῦβος ſex tetragonis æqualibus.

Corpora ſphærica ea dicuntur, quæ conſtant ex ſuperficiebus ſphæricis, vt ſphæra, ſeu globus, & orbis.

Sphæra eſt corpus ſolidum quod fit circa diametrum fixam dimidio circulo circumacto, donec in ſe reuoluatur: hoc eſt, ſphæra eſt corpus ſolidum, vna conuexa ſuperficie incluſum, in cuius medio punctum eſt, à quo omnes lineæ ductæ ad ſuperficiem ſunt inter ſe æquales. Punctum medium ſphæræ dicitur centrum; diameter verò, circa quem dimidius circulus circumactus ſphæram deſcribit, vocatur axis ſphæræ.

Orbis duplex eſt ſolidus & cauus. Solidus idem eſt quod ſphæra, & globus. Cauus eſt corpus ſolidum conſtans duabus ſuperficiebus, ſcilicet conuexa exteriore, & concaua interiore.

TRACTATVS II.

De Sphæra artificiali.

CAPVT PRIMVM.

De Sphæra artificiali in genere.

SPHÆRAM diuidimus in materialem ſeu artificialem, & naturalem; quæ ſic inter ſe differunt, vt materialis ſeu artificialis conſtruatur ex armillis, ſeu circulis eo modo inuicem coaptatis & diſtinctis, vt aliquo modo exprimant & oſtendant oculis ſitum & motum circulorum in primo mobili. naturalis verò fit ipſum primum mobile, in quo hos circulos deſcriptos imaginamur. de priori agemus in hoc tractatu. Eſt igitur ſphæra artificialis inſtrumentum quoddam rotundum, in quo varij circuli armillæve continentur, quibus cœlorum motus, & totius mundi ſitus commodiſſimè explicantur. Hinc enim intelligis facilè, materialis ſphæræ fabricam non aliter conſtructam eſſe, quàm ex certis circulis, ordine quodam inter ſe compoſitis, è quorum notitia omnium mundi partium ſitus, atque etiam temperatio innoteſcat: at doctrinæ purioris certiorisque gratia notabilia aliquot vniuerſim mente concipienda ſunt, quæ ſequentibus lucem afferent.

Primum eſt circulus nullus eſt in cœlo realis,

Capvt II.

De linea.

Linea, quam Græci γραμμὴν vocant, eſt longitudo ſine latitudine & profunditate: eáque duplex eſt ἁπλῆ ϗ μίκτη, hoc eſt, ſimplex & mixta; ſimplex illa dicitur, quæ eſt vniformis, nec componitur ex diuerſis lineis, cuiuſmodi ſunt linea recta & circularis.

Recta linea Græcis εὐθεῖα γραμμὴ, ea eſt à puncto ad punctum breuiſſima extenſio; vel vt Euclides definit, quæ ſua exæquat puncta, ſeu quæ æquo ſua interiacet puncta. Eius ſpecies ſunt Diameter, Diagonalis, Axis, lineæ paralleli, lineæ non paralleli, & perpendicularis.

Diameter ſeu dimetiens eſt linea recta figuram diuidens in partes æquales, quocunque modo id fiat; quales lineas licet plures imaginari in vnica ſphæra, ſi nempe, lineæ per centrum ducantur in has & illas circumferentiæ partes per viam rectā.

Diagonalis, quę Græcè διαγώνιος dicitur, eſt linea recta quę ab vno quadrilateri angulo, ad oppoſitum angulum ducitur, diuidens quadrilaterum in duo triangula; vel vt Vitruuio placet lib. 9. cap. 1. eſt linea ab angulo ad angulum perducta.

Axis eſt linea tranſiens per centrum circuli, ſeu ſphæræ, cuius extremitates circumferentiam ſphæræ ſeu circuli attingunt, circa quam ſphæra voluitur, ipſa immobili manente, eius extrema dicuntur poli.

Lineæ paralleli, illæ dicuntur quæ æqualiter vbique à ſe inuicem diſtantes, nunquam concurrunt, licet in infinitum producerentur.

Lineæ verò non paralleli non diſtant æqualiter à ſe inuicem, ſed in vna parte propiùs ad ſe accedunt, quàm in alia, ideòque productæ concurrunt.

Linea perpendicularis, quę & normalis, appellatur à Græcis καθετὸς, eſt linea quæ efficit angulos vtrobique æquales, cum alia cui inſiſtit: non perpendicularis autem ea eſt, quæ angulos conſtituit inæquales cum alia.

Linea circularis, quę Græcè dicitur γραμμὴ περιφερὴς, vel περιφέρεια, vel περίμετρος, Latinè verò linea, ambitus, & circumferentia. Eſt linea circularis ambiens & continens planam circuli aream, ad quam ex centro lineæ rectæ ductæ, ſunt omnes inter ſe æquales. Linea mixta illa dicitur, quæ componitur ex recta & curua ſiue circulari inuicem permixtis; habet multas differentias ſecundum diuerſitatem compoſitionis: ad eam referuntur ἕλικες, quæ Geometris ſunt Spiræ ſeu lineæ vel circuli in modum tortilis pampini circunducti, nec in ſe redeuntes: harum diuerſæ ſunt ſpecies ſecundum diuerſitatem circumuolutionis, alia eſt enim ἀπειρικὴ, id eſt interminata: alia κυλινδρικὴ: alia κερατοειδὴς, hoc eſt, cornu ſpeciem & formam habens: alia κοχλοειδὴς, id eſt, in modum conchæ: alia στρομβοειδὴς, hoc eſt turbinis ſeu coni formam gerens, &c. quæ ſortiuntur appellationes à rerum figura quas circumuolutione effingunt.

Capvt III.

De ſuperficie.

Svperficies, Græcis ἐπιφάνεια, eſt longitudo & latitudo ſine profunditate, cuius extrema ſunt lineæ: ſicut enim linea fit ex fluxu puncti in longum; ita ſuperficies fit ex ductu lineæ in latum.

Duplex eſt ſuperficies, vna ſimplex; altera mixta. Simplex eſt quæ conſtituitur ex lineis ſimplicibus & vniformibus, ſiue rectæ ſint, ſiue circulares; ſubdiuiditúrque in planam, & ſphæricam.

Plana ſuperficies, ἐπίπεδος ἐπιφάνεια, eſt quæ exæquat rectas ſuas lineas quibus finitur, itaut medium non aſſurgat altius extremis ſeu terminis, neque infra eoſdem deprimatur.

Superficies ſphærica eſt quę non exæquat ſuos terminos, ſed à centro vndique æqualiter abeſt: diuiditur in concauam, & conuexam.

Conuexa ſuperficies, κυρτὴ ἐπιφάνεια, eſt exterior ambitus ſphæræ vel corporum rotundorum, qualis eſt pomorum, vel ouorum, aut etiam terræ cui inſiſtimus exterior ſuperficies.

Concaua, κοίλη ἐπιφάνεια, eſt interior ambitus in orbe cauo aut corporibus excauatis; qualis eſt interior ſuperficies ouorum quę recipit humores, vel illa ſuperficies cæli quam conſpicimus. Mixta ſuperficies componitur ex plana & ſphærica, qualis eſt ſemicirculus, aut ſegmentum circuli maius vel minus ſemicirculo.

Proprium linearum & ſuperficierum eſt conſtituere concurſu ſuo mutuo angulos & figuras.

Angulus Græcè γωνία eſt duarum linearum, vel plurium quàm duarum ſuperficierum non in directum poſitarum, & terminis ſuis ſe inuicem contingentium mutua inclinatio. Duplex eſt angulus; vnus ſolidus, alter planus.

Solidus angulus definitur ab Euclide lib. 11. definitione 11. Angulus comprehenſus ſub pluribus angulis, quàm duobus, planis, non conſiſtentibus in eodem plano, ſed ad vnum punctum collectis.

Angulus planus, eſt mutua inclinatio duarum linearum ad ſe inuicem, in eodem plano, non in directum iacentium. Eſt autem triplex angulus planus; nempe rectilineus, curuilineus & mixtus.

Rectilineus eſt ille quem conſtituunt rectæ lineæ ad ſe inuicem inclinatæ in eodem plano, ſed non in directum poſitæ.

Curuilineus ille eſt, quem efficiunt lineæ circulares in eadem ſuperficie, ſiue plana, ſiue circulari, non in directum poſitæ.

Mixtus eſt ille, quem conſtituunt lineæ circulares & rectæ, in eodem plano non in directum poſitæ.

Porrò diuiduntur anguli rectilinei & ſphærici tùm ratione poſitionis, tùm ratione quantitatis diuerſæ: ratione quidem poſitionis quadrupliciter; vel enim ſunt anguli ἐφεξῆς, hoc eſt, continui ſeu contigui quos conſtituit linea recta, rectæ lineæ quomodocumque inſiſtens; vel ſunt anguli κατὰ κορυφὴν, id eſt, ad verticem ſiue ad

punctum, in quo duæ lineæ rectæ ſeſe ſecant, oppoſiti; vel ſunt anguli ἐναλλάξ, hoc eſt alterni & permutatim poſiti, quos efficit linea recta incidens in parallelos, vel non parallelos, eáſque ſecans; vel ſunt anguli ἀπεναντίον, quos linea recta incidens in parallelos, vel non parallelos efficit ex eadem parte oppoſiti, quorum vnus eſt exterior, alter verò interior. Ratione verò quantitatis diuiduntur trifariam; vel enim ſunt recti, vel acuti, vel obtuſi.

Rectus angulus ille eſt, qui fit ex concurſu lineæ perpendicularis in lineam rectam.

Acutus eſt recto minor. Obtuſus recto maior.

Figura eſt quæ vno aut pluribus terminis circunſcribitur: vno, vt circulus; pluribus, vt triangulus. Figura diuiditur in planam, & ſolidam; vtraque in rectilineam, curuilineam, & mixtam: hîc agemus de planis, & in ſequenti capite de ſolidis.

Figura rectilinea vel eſt trilatera, vel quadrilatera, vel multilatera, quæ ſub ſe continet infinitas ſpecies, prout in infinitum addi poſſunt latera.

Triangulus eſt figura plana tribus lineis comprehenſa. Diuiditur autem bifariam: Primò ratione laterum in tres ſpecies, ſcilicet Iſopleuron, ſeu æquilaterum, in quo tria latera ſunt æqualia; Iſoceles, quod habet tantùm duo latera æqualia; & ſcalenon, quod habet omnia tria latera inæqualia. Secundò ratione angulorum in totidem ſpecies diuiditur: nam vel conſtat ex vno recto angulo, & vocatur ὀρθογώνιον, ſeu rectangulum; aut tribus acutis angulis, & vocatur

catur ὀξυγώνιον ſeu acuti-angulum; aut vno obtuſo, & vocatur ἀμβλυγώνιον ſeu obtuſi angulum.

Quadrilaterarum figurarum aliæ æquilateræ & rectangulæ, vt quadratum; aliæ rectangulæ ſed non æquilateræ, vt quadrilaterum altera parte longius; aliæ æquilateræ & non rectangulæ, vt Rhombus; aliæ neque rectangulæ neque æquilateræ, vt Rhomboides. Reliquæ omnes quadrilateræ figuræ vocantur trapeſia ſeu irregulares, quæ nec latera omnia æqualia, nec omnes rectos angulos habent. Sub figura multilatera, quæ ſcilicet habet plura latera quàm quatuor, continentur omnes figuræ quæ vulgò denominantur à numero angulorum πεντάγονα, ἑξάγονα & ſic in infinitum.

Figura curuilinea in planis eſt, quę fit ex linea curua, cuius generis ſunt variæ ſpecies; vt circulus, figura oualis, lenticularis, conchalis, lunaris, &c.

Circulus eſt linea plana vna περιφέρεια ſeu circumferentia comprehenſa, à cuius medio puncto, quod centrum dicitur, omnes lineæ ductæ ad circumferentiam ſunt æquales; cuius media pars, diuiſa per diametrum, vocatur ſemicirculus; & quarta pars, diſtincta per ſemidiametrum, dicitur quadrans.

Oualis appellatur ea quæ refert ſimilitudinem oui, ſicut lenticularis ob ſimilitudinem fructus lenticularis; & conchalis, ob figuram conchæ; & Lunaris, ou ſpeciem Lunæ.

Tres ſunt ſpecies figuræ mixtæ, nempe ſemicirculus, ſegmentum maius, & ſegmentum minus.

Semicirculus conſtat ex circuli diametro, & ea circumferentia quam diameter abſcindit à toto circuli ambitu.

Segmentum maius eſt portio circuli maior ſemicirculo, hoc eſt, figura plana mixta, quam includit linea recta, & pars circumferentiæ maior dimidia.

Segmentum minus eſt portio minor ſemicirculo, ſeu figura plana mixta, quam linea recta, & pars circumferentiæ dimidia minor, comprehendit.

Capvt IV.

De Corpore.

Figvra ſolida eſt corpus altera quantitatis continuæ ſpecies, quod longitudinem, latitudinem, & profunditatem habet, cuius extrema ſunt ſuperficies. Corporum alia ſunt regularia, alia irregularia. Regularia dicuntur ea quæ conſtant ex ſuperficiebus vniformibus. Irregularia verò quæ conſtant ex ſuperficiebus difformibus. Irregularia ſunt lenticulare, ouale, conchale, lunare; quę omnia inæquales & difformes habent ſuperficies, ſortiuntúrque nomen à figuris quas ſuperficies inducunt.

Corpora regularia duplicia ſunt, vel enim ſunt ſimplicia ſeu ſimilia, vel compoſita & diſſimilia. Compoſita ſunt quæ ex diuerſis & diſſimilibus conſtant ſuperficiebus, aut planis aut ſphæricis; vt Cylindrus, Conus, Hemiſphæ-

rium, & alia ſimilia : aut planis diuerſarum ſpecierum, vt Pyramis, Priſma.

Cylindros eſt corpus compoſitum ex circularibus ſuperficiebus planis & ſphæricis, factum à rectangulo parallelogrammo, vno latere circumducto, altero verò manente immobili & fixo.

Conus eſt corpus compoſitum ex ſuperficie plana circulari, & ſphærica, à baſi ampliore ad vnum faſtigium aſſurgens. Fit autem quando triangulum rectangulum, manente vno latere fixo circa angulum rectum, circumducitur, donec in ſe reuertatur.

Hemiſphærium eſt corpus compoſitum ex ſuperficie globi, dimidia & plana, longitudine reſpondente diametro, latitudine verò dimidiæ areæ globi.

Pyramis eſt figura ſolida ſiue corpus compoſitum ex planis ſuperficiebus aſſurgentibus ab vno plano ad vnum punctum : differt autem à Cono, quod in Cono ſuperficies quæ aſſurgit à baſi circulari ad vnum faſtigiū, eſt ſphærica; in pyramide verò conſtituitur ex ſuperficiebus triangularibus, ſiue tribus, ſiue quatuor, ſiue quinque, aut pluribus.

Priſma eſt figura ſolida compoſita ex planis ſuperficiebus, quarum inuicem oppoſitæ æquales ſunt ſimiles & paralleli; reliquæ verò parallelogrammæ.

Corpora ſimplicia ſunt in duplici differentia; quædam enim plana ſunt, quædam ſphærica.

Plana dicuntur quæ conſtant ex planis ſuper-

ficiebus, vt τετράεδρον, ὀκτάεδρον, δωδεκάεδρον, εἰκοσάεδρον & κύβος. τετράεδρον eſt figura ſolida conſtans quatuor trigonis æqualibus & æquilateris. ὀκτάεδρον octo trigonis æqualibus & æquilateris: δωδεκάεδρον duodecim pentagonis æqualibus, æquilateris & æquiangulis. εἰκοσάεδρον viginti trigonis æqualibus & æquilateris. κύβος ſex tetragonis æqualibus.

Corpora ſphærica ea dicuntur, quæ conſtant ex ſuperficiebus ſphæricis, vt ſphæra, ſeu globus, & orbis.

Sphæra eſt corpus ſolidum quod fit circa diametrum fixam dimidio circulo circumacto, donec in ſe reuoluatur: hoc eſt, ſphæra eſt corpus ſolidum, vna conuexa ſuperficie incluſum, in cuius medio punctum eſt, à quo omnes lineæ ductæ ad ſuperficiem ſunt inter ſe æquales. Punctum medium ſphæræ dicitur centrum; diameter verò, circa quem dimidius circulus circumactus ſphæram deſcribit, vocatur axis ſphæræ.

Orbis duplex eſt ſolidus & cauus. Solidus idem eſt quod ſphæra, & globus. Cauus eſt corpus ſolidum conſtans duabus ſuperficiebus, ſcilicet conuexa exteriore, & concaua interiore.

TRACTATVS II.

De Sphæra artificiali.

CAPVT PRIMVM.

De Sphæra artificiali in genere.

SPHÆRAM diuidimus in materialem ſeu artificialem, & naturalem; quæ ſic inter ſe differunt, vt materialis ſeu artificialis conſtruatur ex armillis, ſeu circulis eo modo inuicem coaptatis & diſtinctis, vt aliquo modo exprimant & oſtendant oculis ſitum & motum circulorum in primo mobili. naturalis verò ſit ipſum primum mobile, in quo hos circulos deſcriptos imaginamur. de priori agemus in hoc tractatu. Eſt igitur ſphæra artificialis inſtrumentum quoddam rotundum, in quo varij circuli armillæve continentur, quibus cœlorum motus, & totius mundi ſitus commodiſſimè explicantur. Hinc enim intelligis facilè, materialis ſphæræ fabricam non aliter conſtructam eſſe, quàm ex certis circulis, ordine quodam inter ſe compoſitis, è quorum notitia omnium mundi partium ſitus, atque etiam temperatio innoteſcat: at doctrinæ purioris certioriſque gratia notabilia aliquot vniuerſim mente concipienda ſunt, quæ ſequentibus lucem afferent.

Primum eſt circulus nullus eſt in cœlo realis,

nec ex naturæ opera diſtinctus; ſed à mathematicis fictus, niſi fortè viam lacteam circulum appelles, qui ſenſibus obiicitur, & quem inter alios circulos annumerat Macrobius cap. 15. lib. 1. in Somnium Scipionis; ſed quia eius circuli nulla videtur eſſe vtilitas in aſtronomia, propterea non recenſetur inter ſphæræ aſtronomicæ circulos.

Secundùm fingunt aſtronomi in cœlo 10. circulos, 5. nimirùm, æquè diſtantes ſeu parallelos, & præterea duos coluros, meridianum, horizontem, & Zodiacum, non quod plures effingi nequeant, ſed quia iſtorum decem ſit præcipuus vſus in aſtrologia.

Tertiùm, 10. hi circuli differunt motu, magnitudine, dimenſione, & ſitu; motu quidem, nam alij mobiles ſunt, alij immobiles. Meridianus quidem, & horizon finguntur immobiles, atque adeò adhærere cœlo cuipiam immobili, cæteri verò mobiles ſunt, ideòque finguntur eſſe in primo mobili. Magnitudine, quia alij ſunt circuli maiores, alij minores: maiores circuli dicuntur ij, qui diuidunt cœlum in duas æquales partes, & pro centro ſuo habent centrum mundi: minores circuli ij dicuntur, qui non diuidunt cœlum in duas æquales partes, habéntque aliud centrum à mundo. Dimenſione, quia Zodiacus circulus ſecundum latitudinem diuiduus eſt, alij non item. Situ, quia circuli quidam ſunt rectè collocati in ſphæra, qui æquè diſtant à polis, alij ſunt obliquè collocati, qui non æquè diſtant à polis, vt eſt Zodiacus, & horizon obliquus.

Quartùm quilibet circulus ſiue maior, ſiue minor, diuiditur in 12. partes, quæ ſigna vo-

cantur, eſt enim ſignum 12. pars circuli, quamuis vulgò ſigna vni Zodiaco tribuantur.

Quintùm, quælibet pars ſigni diuiditur in 30. alias partes, ſeu potiùs totum ipſum ſignum, quod eſt pars duodecima circuli; partes verò illæ triginta, cuiuſlibet ſigni, appellantur gradus. Gradus verò quilibet diuiditur in 60. minuta, minutum autem quodlibet diuiditur in 60. ſecunda, item quodlibet ſecundum in 60. tertia, & ſic deinceps vſque ad numerum denarium. Porro numero ſexagenario vtuntur aſtronomi eo quod hic numerus docente Ptolemæo multiplicationibus ac diuiſionibus multum ſit accommodatus.

Ordinem verò ac numerum, itémque nomina quibus circuli ſphæram componentes exprimuntur, ſic habe. Primus dicitur æquinoctialis, 2. Zodiacus, 3. colurus æquinoctiorum, 4. colurus ſolſtitiorum, 5. meridianus, 6. horizon, & hi circuli maiores ſunt, ideo reſtant 4. minores circuli, nimirum Tropicus Cancri, Tropicus Capricorni, circulus Arcticus, & circulus antarcticus, dequibus dicemus deinceps ſigillatim.

CAPVT II.

De æquatore ſeu circulo æquinoctiali.

ÆQVATOR, qui & æquinoctialis definitur, maior quidam circulus diuidens cœlum in partes æquales, æqualiter ab vtroque polo, ſecundum omnem ſui partem, diſtans. qui

quidem circulus ſic concipitur deſcribi; à centro mundi ducatur linea per centrum Solis, dum eſt in principio Libræ, vel Arietis, vſque ad eam partem primi mobilis reſpondentem principio Arietis, aut Libræ, tùm illa linea inflectatur, & circunducatur ſpatio 24. horarum, ita vt circulum conficiat complectentem concauam, aut conuexam ſuperficiem primi mobilis, conſurget circulus æquinoctialis rectus ad axem mundi, & æqualiter omni ex parte à Polis mundi ſeparatus; quæ cogitatio vel conceptus, vt nitidior fiat, & magis perſpicua; ſciendum eſt circulos omnes deſcribi in primo mobili, & quamuis parum referat ſi deſcribantur in concaua ſuperficie primi mobilis, aut in conuexa, quia tamen vndique tegimur, & concauam ſuperficiem aſpectabilem habemus, facilitatis gratia, compellimur eoſdem deſcribere in concaua: quemadmodum, quia poſiti ſumus extra ſphæram artificioſam, cuius conuexum ambitum intuemur, non concauum, ſolemus deſignare circulos in eadem per extimam, & conuexam ſuperficiem, vt in globis aſtronomicis: inſuper quando conſtituimus omnes circulos mobiles præter meridianum, & horizontem, debemus imaginari omnes circulos in primo mobili, meridianum verò, & horizontem in cœlo penitus immobili, puta in empyreo, aut alio quopiam fictitio. Itaque in ſphæra materiali cernimus meridianum, & horizontem eminere ſupra totam machinationem circulorum mobilium.

Æquator variis nominibus inſignitur, nam

à Græcis dicitur κύκλος ἰσημερινός, id eſt, circulus æquedialis, à Ptolomæo linea ſiue orbis æquationis diei, ab Alphragamo circulus æquinoctij, & communiter æquinoctialis duas ob cauſas, quia nimirum, in regione illa quæ ſubiicitur circulo æquinoctij dies ſunt perpetuo æquales nocti, in quocunque ſigno Zodiaci Sol deambulet; vel quia, vt ait Sacroboſcius cap.2. ſuæ Sphæræ, cùm Sol hunc circulum peragrat fit æquinoctium in vniuerſa terra, diéſque æquantur noctibus; excipe tamen eas regiones, quæ directè polis ſubiacent, ſi quidem hæ vnicam habent diem ſingulis annis, & vnicam noctem, ſed vtrumque ſex menſium; propterea quod in illis regionibus æquator & horizon ſeſe mutuò non interſecant, in aliis verò regionibus iidem circuli ſeſe diuidunt; quoties itaque Sol ad initium Arietis, & Libræ tranſit circulum æquinoctialem dies æquantur motibus; quod ſic demonſtrari poteſt. Æquinoctialis circulus, & horizon ſeſe mutuò interſecant, quia omnes maximi circuli ſeſe diuidunt, vt conſtat ex Theodoſio propoſitione 11. lib.1. itaque, vbicunque concurrent in mutua ſectione, vna medietas circuli æquinoctialis ſupra horizontém erit, & alia infra horizontèm; iam verò Sol ab ortu in occaſum ſeſe mouens mouetur vniformiter; ergo tantundem impendit temporis in percurrenda medietate ſuperiori, quantum in inferiori, cúmque tempus quod inſumit in peragranda medietate ſuperiori ſit dies artificialis, tempus autem quod inſumit in peragranda inferiori medietate ſit ipſa nox; ergo quoties circulum æquinoctialem

Sol peragrauit, quod fit bis in anno, ſemel in principio Arietis, & ſemel in principio Libræ, dies erunt æquales noctibus, & noctes diebus, quod expreſſit Manilius, hoc verſu:

Libra, Arieſque parem reddunt noctémque, diémque.

Porrò varius eſt vſus, & varia officia æquatoris; eſt enim æquator regula, ac menſura motus primi mobilis, quando pars cœli mobilis quæ deſcribit circulum æquinoctialem velociſſimè, & maximè æquabiliter voluitur; etenim oſtendit primum mobile 24. horarum ſpatio totam periodum conficere.

Eſt etiam æquator regula temporis, nam tempus omne menſurat, dies metitur, & horas, quatenus ex eleuatione 15. graduum illius ſupra horizontem, colligimus vnam horam tranſactam eſſe, vnde tùm abſolutus eſt vnus dies naturalis, vbi facta eſt tota æquatoris reuolutio.

Æquator diuidit Zodiacum in 2. puncta, quæ ab Aſtronomis appellantur æquinoctialia, nimirum, in principio Libræ, & Arietis.

Præterea indicat quænam pars cœli dicatur Septentrionalis, & quæ Auſtralis; nam ſignum, vel ſtella, vel pars cœli ſita inter æquinoctialem circulum, & polum arcticum, appellatur Septentrionalis; quæ verò ab eodem circulo declinat in polum antarcticum, appellatur Meridionalis, quæ verò eſt in ipſomet circulo neutra; quamobrem quandiu Sol ab Ariete ad Libram properat ſpatio ſex menſium à 21. die Martij, ad 21. Septembris, appellatur Septentrionalis; quandiu verò à Libra retrograditur ad Arietem,

quod fit à 21. Septembris, ad 21. Martij eſt Meridionalis, eodem modo iudicandum de aliis Planetis.

Æquator denique mirum in modum inſeruit Geographis, & Coſmographis, nam ſine circulo æquinoctiali, nulla terræ deſcriptio abſoluta eſſe poteſt, nullâque ciuitas in globo terreſtri, aut in mappa mundi proprio in loco reponetur; penes enim circulum æquinoctialem & longitudo ciuitatum, & latitudo deſumitur, vt apertiùs docebimus, vbi circulo Meridiano qui ad id quoque negotium requiritur.

CAPVT III.

De Zodiaco.

SECVNDVS inter maximos Circulos eſt Zodiacus, via illa planetarum, vt ait Ariſtoteles libris de Cœlo, & quaſi ſtadium per quod decurrunt, & quod nunquam prætergrediuntur; nam experientia compertum eſt omnes Planetas, præſertim verò Solem; proprio motu deflectere ab æquinoctiali circulo ad Septentrionem, quoadusque vicinior fiat polo arctico viginti tribus gradibus, & triginta minutis: rurſus exinde redire à parte Septentrionali, quam terminat tropicus Cancri, ad circulum æquinoctialem, per Libram tantiſper dum inclinet in tropicum Capricorni viciniorem polo antarctico tot idem gradibus & minutis, & conſtantiſſimè hanc viam percurrere ſingulis annis.

Itaque Zodiacus eſt maximus circulus mobilis in Sphæra, qui ſecat æquinoctialem bifariam, & ab eodem interſecatur obliquè; ita vt vna pars illius inclinet in Septentrionem, & alia in Auſtrum: puncta verò, vtrinque Zodiacum terminantia ad polos mundi appellantur poli Zodiaci diſtantes à prioribus 23. gradibus, & 30. minutis.

Circulus autem ille, Zodiacus vocatur à dictione Græca ζωὴ, id eſt, vita, quia propter motum Solis, Lunæ, & reliquorum Planetarum in eo circulo, ſuis tempeſtatibus, vitam ſtirpibus, & omnibus inferioribus impertitur; vel ab alia dictione, ζώδιον, id eſt, animal, quia cùm diuidatur circulus ille in duodecim partes æquales, vnaquæque refert ſpeciem animalis; vel quia Sol ſucceſſiuè per annum decurrens, has duodecim partes Zodiaci, producit effectus in his inferioribus, reſpondentes multis animalibus; nam dum percurrit partem Zodiaci, quæ Leo appellatur, ignes, & flammas euomit, ſicut Leo; cùm verò Virginis ſignum decurrit, nihil parturit; cùm Aquarium inuiſit, aquas abundantiſſimè refundit; denique cùm Arietem ad vernum tempus ingreditur aperit telluris ſinum, floréſque miniſtrat, quando Aries ianuam ſtabuli, allucente Lucifero, aperit.

Idem circulus appellatur ſignifer à ſignis 12. quæ defert: dicitur etiam circulus obliquus lib. 2. de Ortu, quia ſecat æquatorem ad obliquos angulos, & colurum æquinoctiorum, ideóque in Sphæra artificiali ſitum obliquum obtinet, nam illius partes quædam ſunt viciniores

æquinoctiali; vt Aries, & Libra, aliæ arctico, vt Cãcer, aliæ antarctico, vt Caper, quæ ſunt 4. partes, aut puncta Zodiaci, reſpondentia 4. anni tempeſtatibus; Aries quidem denotat vernum tempus, Cancer æſtatem, Libra autumnum, Caper hyemem; ex quibus duo ſunt æquinoctialia, primum punctum Arietis, ſcilicet & Libræ, totidem Solſtitialia; Primum, ſcilicet punctum Cancri, & Capricorni, vt ſignificatur hoc vulgato diſticho.

Hæc duo Solſtitium faciunt Cancer, Capricornus:

Sed noctes æquant Aries, & Libra diebus.

Interim omnes ſtatuunt principium Zodiaci eſſe primum gradum Arietis, propterea quod cùm primum Sol illum peragrat, generationes rerum inferiorum renouat; finem verò Zodiaci aiunt eſſe, primum gradum libræ; eo quod Sole Libram ineunte omnia intereunt, & clauditur genitale magnæ parentis.

Non eſt prætermittendum quamlibet 12. partem Zodiaci, quæ ſignum defert, rurſus diuidi in 30. gradus æquales, quorum vnus percurritur à Sole ſingulis diebus, itaque cùm 12. ſint partes in Zodiaco, facta multiplicatione conſurgunt 360. gradus, qui reſpondent ſingulis anni diebus qui numerantur 365. nam reſiduus ille numerus quinque dierum, quaſi nullus reputatur: quia autem Zodiacus inter omnes Circulos latitudinis eſt particeps, quandoquidem Circuli alij conſtent linea circulari abſque latitudine, idcircò aſtronomi metiuntur latitudinem Zodiaci 12. gradibus quamcunque in partem, ad explicandum irregularem motum Planetarum, & ad ſi-

gna Zodiaci deſcribenda, quæ non ſunt quadratæ figuræ, ſed altera parte, longioris, propterea quod longitudine continent 30. gradus, & latitudine 12. tantùm.

Signorum verò nomina, ordo, & numerus patet, hoc diſticho:

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libráque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Piſces.

quæ his 12. Carminibus eleganter deſcripſit Manilius.

Aurato princeps Aries in vellere fulgens
Reſpicit, admirans, aduerſum ſurgere Taurum,
Summiſſo vultu Geminos, & fronte vocantem,
Quos ſequitur Cancer, Cancrum Leo, Virgo Leonem,
Æquato tum Libra die, cùm tempore noctis
Atrahit ardenti fulgentem Scorpion aſtro,
In cuius caudam contentum dirigit Arcum
Miſtus equo, volucrem miſſurus, iámque Sagittam
Tum venit anguſto Capricornus ſidere flexus,
Poſt hunc inflexam infundit Aquarius vrnam,
Piſcibus aſſuetas auidè ſubeuntibus vndas,
Quos Aries tangit claudentes vltima ſigna.

Qui quidem verſus perpulchrè deſignant figuras ſignorum 12. Zodiaci, quæ in cœleſti globo depingi ſolent.

Zodiaci latitudinem ſecat in duas æquales partes linea quædam quam Eccliptícam appellant, quæ quidem ex vna parte ſex relinquit gradus, & ex altera totidem, atque hæc linea, ideo

dicta eſt Ecclipticа, Latinè deficiens, quia cùm Luna Soli coniungitur in ipſa, quod fit in nouiluniis, contingit Ecclipſis Solis; cùm verò diametraliter illi opponitur in plenilunio, aut circiter plenilunium in eadem linea terræ opaco corpore interueniente, Luna patitur deliquium: quia verò Sol nunquam à linea iſta deflectit, ſed curſum ſuum annuum per illius circuitum peragit, ideo linea hæc crebro nominatur Zodiacus, orbita Solis, aut circulus eiuſdem.

Deprehenderunt autem Aſtronomi, Solem à linea Ecclipticа nunquam deflectere, quia ſingulis annis in eodem gradu Zodiaci Sol conſiſtens, oritur in eodem horizontis puncto, puta in primo gradu Cancri, non plus, aut minus deflectens ab æquinoctiali, aut polo arctico, & ſemper vmbrarum eandem magnitudinem producens: iam verò Luna, & reliqui Planetæ ab Ecclipticа declinant, & eodem die plurium annorum longius diſtant ab æquinoctiali, modò propius accedunt: hinc ſolent vmbras proiicere modò breuiores, modò longiores; quamobrem data eſt latitudo Zodiaco hinc atque illinc ſex graduum, per quos deuehi ſolent alij Planetæ.

Hîc obſeruandum cùm Sol, vel alius Planeta dicitur eſſe in ſigno, ſenſum eſſe ipſum ſupponi alicui parti Zodiaci, in qua deſcriptum ſignum cœleſte.

Vſus & officia Zodiaci ſunt, primus Zodiacus metitur curſus Planetarum: nam quo tempore hunc circulum peragrant, ſuos orbes confeciſſe dicuntur.

Secundus cauſa eſt Ecclipſeωn, quia vbi con-

currunt duo Planetæ, vel diametraliter opponũtur in Eccliptica Zodiaci, eorum alter deficit.

Zodiacus cauſa eſt dierum, & noctium; eſt enim via Solis, quo præſente illuceſcit dies, abſente omnia caligant, & nox viget.

Quartus cauſa eſt 4. anni tempeſtatum, quæ ſignantur maximè per hæc ſigna Zodiaci 4. putà Arietem, cui reſpondet vernum tempus; per Cancrum, cui æſtas; per Libram, cui autumnus; per Capricornum, cui hyems.

CAPVT IV.

De duobus Coluris Solſtitiorum & Aequinoctiorum.

CONSTITVIMVS duos maximos Circulos ſeſe inuicem interſecantes, nempe æquinoctialem, & Zodiacum; & in iis notauimus præſertim 4. puncta, quæ dicuntur Cardinalia, ſignata 4. ſignis, Ariete, Libra, Cancro, & Capricorno, diſtinguentia 4. anni tempeſtates, ſcilicet ver Arietem, æſtatem Cancrum, autumnum Libram, hyemem Capricornum: itémque deſignantia maximos duos acceſſus Solis ad æquinoctialem, nempe in Ariete, & Libra, duáſque maximas declinationes, ſcilicet in Cancro, & Capricorno.

Sunt autem hæc 4. puncta ſe inuicem ex oppoſito reſpicientia, adeo vt æquinoctiale punctum reſpiciat ex oppoſito aliud æquinoctiale, puta Aries Libram; Solſtitiale item intueatur aliud

aliud oppoſitum Solſtitiale, ídque ex diametro per lineam rectam.

Placuit verò Aſtronomis vtrumque Solſtitiale vno circulo comprehendere, qui tranſeat per hæc duo ſigna, Cancrum videlicet, & Capricornum: itémque per polos mundi ac polos Zodiaci; qui licet ſint aliquantulum diſtantes, tamen diſtant per lineam rectam, vt poſſit circulus per vtrumque tranſire: Altero autem circulo complexi ſunt Aſtronomi vtrumque punctum æquinoctiale, qui quidem circulus, trãſit per Libram, & Arietem, & per polos mundi tantùm: atque hi circuli dicuntur vulgò Coluri; cuius vocabuli etymon ſatis ridiculum adfert Sacroboſcius, vt videre eſt in eius Sphæra: rectius enim dices quod Colurus idem ſit atque mutilum, truncatum, & imperfectum: eo quòd eiuſmodi circuli pars ſemper lateat, pars verò altera conſpiciatur. Latet enim ea quæ eſt in oppoſito polo, apparet verò ea quæ eſt in noſtro.

Eſt igitur Colurus æquinoctiorum circulus maior mobilis, per mundi polos, & puncta Æquinoctialia ductus.

Colurus Solſtitiorum eſt circulus maior mobilis, qui per polos mundi & Zodiaci, & puncta Solſtitia ducitur.

Ex his duobus Coluris, ille qui dicitur Solſtitialis diuidit Zodiacum, eiúſque Eclipticam ad angulos rectos, cùm tranſeat per eius polos, in quorum medio ipſa linea Ecliptica intelligitur cõſtituta. Ille verò Colurus qui dicitur Æquinoctialis ſecat Zodiacum ad angulos obliquos, qui non tranſit per polos Zodiaci, licet tranſeat per

polos mundi, à quibus ſcilicet diſtant aliquot gradibus poli Zodiaci.

Primus vſus ſeu officium Colurorum, multum cõducit Aſtronomis: ex Coluro enim Solſtitiali, cernitur diſtinctio polorum mundi à polis Zodiaci: vt videlicet intelligamus quantum recedat Zodiacus ab Æquinoctiali, tùm recedere polos eius à polis illius. Deprehenditur illa proportio ex arcu Coluri, qui intercipitur inter Æquinoctialem & punctum maximæ declinationis Zodiaci, videlicet Cancri, & inter polum mundi & polum Zodiaci; vt quod gradus contineat vnus, totidem contineat alter, & id demonſtrat Sacroboſcius de Tropicis; cuius demonſtrationem vt intelligas, ſupponendum prius, cùm tam Zodiacus quàm Æquinoctialis, diuidant Sphæram in duas partes æquales, inter æquatorem, & polum mundi intererit quarta pars cœli. Itémque quarta pars inter Zodiacum & ſuum polum; cùm ergo Colurus Solſtitiorum tranſit per vtriuſque circuli polos, diuiditur in duas quartas æquales; videlicet, vnã, quæ eſt ab Æquinoctiali ad polum mundi, alteram, quæ eſt à Zodiaco ad ſuum polum; ſed ſi ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent ſunt æqualia: Ergo ſi à quarta, quæ eſt ab Æquinoctiali ad polum mundi per Cancrum, demas arcum, qui eſt à Cancro ad polum, & ab ea quarta, quæ eſt à Cancro per polum mundi, & Zodiaci polum, tollas eandem quæ eſt à Cancro ad polum mundi, illæ duæ particulæ quæ remanent inter polum mundi; & Zodiaci; & inter Æquinoctialem, & Cãcrum, erunt æquales; quare diſtant poli mundi, à polis Zodia-

ci, quantum æquator à Zodiaco: quod facile eſt in Sphæra materiali deprehendere. diſtantia porrò eſt 23. graduum circiter.

Secundus vſus Colurorum eſt, quòd diſcernant ſigna Zodiaci: nam Colurus Solſtitiorum, diſtinguit ſex ſigna quæ rectè oriuntur in Sphæra obliqua Boreali, videlicet Cancrum, Leonem, Virginem, Scorpionem, Sagittarium: diſtinguit, inquam, ab iis qui obliquè oriuntur, vt ſunt reliqua ſex ſigna.

Capvt V.

De Circulo Meridiano.

Est etiam Meridionalis inter maiores Sphæræ circulos, dicitúrque cuſpis regalis, cardo regius, & communiter Meridionalis.

Definitur circulus immobilis tranſiens per mundi polos, & Sphæram diuidens in duas partes æquales: ad quem quidem circulum cùm peruenerit Sol, meridies eſt; ſed cùm Sol ſemper in orbem feratur, quibuſdam etiam oriatur, quibuſdam occidat; ſicuti dantur diuerſa puncta ortus, & occaſus, propter diuerſitatem regionum; ita etiam dantur diuerſi meridies: vt quando eſt meridies vni, fit ortus alteri regioni, & occaſus alteri; ideóque Meridianus non vnus eſt, ſed multiplex, propter diuerſitatem regionum. eſt autem in qualibet regione Meridianus, puta in noſtra Pariſienſi prouincia, ille qui tranſit per polos mundi, & per Zenith noſtrum, id eſt, pun-

ctum verticale,reſpondens è cœlo capiti noſtro.

At enim inquies,ea ratione eſſent infiniti Meridiani: poſſumus enim infinitos circulos ducere per varia Zenith. Reſpondetur reuera circulos meridianos ex ſe non eſſe determinatos, ſed poſſe concipi vbique multiplices; quia cuicunque loco interdum recta reſpondet Sol, verum poſſunt intelligi determinari ad hunc modum. Verùm exactè loquendo, & Geometricè, licèt Sol in quouis puncto faciat alium & alium meridiem, tamen diuerſitas meridiei ad certam diſtantiam non ſentietur, ſed vnus meridies nobis, & vicinioribus locis, qui non ita multùm diſtent, vel verſus ortum, vel verſus occaſum, fieri intelligitur. Eſt enim ea diſtantia, in qua non ſentitur differentia 300. ſtadiorum, quæ conficiunt leucas Gallicas circiter 24. quare ſpatio 24. leucarũ, ſufficit Meridianus vnus: quod ſi hoc fiat conſtituentur in mundo 300. Meridiani: quia 24. leucæ Gallicæ, conſtituunt minuta 36. vt plerique volunt: quare ſi 36. cuique minuto, & 24. cuique leucæ reſpondeat vnus Meridianus, abſumentur omnia minuta quibus, conſtat Zodiacus 300. Meridianis; ita tamen vt iidem 300. qui ſunt in noſtro ſuperiori mundo, ſint in inferiori reſpondentes antipodis.

Coſmographi verò conſtituunt Meridianos 180. quia inter vnum gradum & alium conſtituunt ſemper vnum: cùm verò ſint gradus 360. & idem Meridianus qui tranſit per duos gradus, tranſeat per alios illis oppoſitos, erunt 180.

Alio verò modo ſunt diuiſi Meridiani iuxta horas diei, ita vt ſpatio vnius horæ, Sol tranſeat

ab vno Meridiano ad alium : cùm verò ſint horæ 24. Meridiani, erunt 12. ob dictam rationem. continentur autem hoc modo inter vnum Meridianum & alium gradus 15. tot enim gradus Sol vna hora percurrit, atque ad hunc modum diuidunt Meridianos Coſmographi in ſuis globis quos mundi mappas vocant, vt nempe poſſint diſcernere quot horis citius ſit Meridies in vna ciuitate quàm in alia.

Vſus & officia Meridiani ſunt, determinare tempus ſemidiurnum, & ſeminocturnum diei noctiſque artificialis, oſtendendo puncta meridiei, ac mediæ noctis : diuidit enim Meridianus dies, & noctes in ſpatia æqualia; diem quemcunque in tempus meridianum, ſeu matutinum, & in pomeridianum, ſeu veſpertinum : noctem quoque in horas, quæ mediam noctem antecedunt, & in eas quæ eandem conſequuntur. Dies verò artificialis dicitur, mora Solis ſupra horizōtem : ſicut & nox artificialis, dicitur mora Solis ſub horizonte: dies naturalis eſt integra Solis reuolutio circa totam terram, ab vno puncto ad idem punctum; quæ fit ſpatio 24. horarum.

In Meridiano circulo, omnia aſtra maximam ſuam altitudinem, ſeu eleuationem ſupra horizontem ſortiuntur, habéntque intenſiſſimum vigorem, & magnam virtutem; cùm in eo conſtituta, agant in hæc inferiora, per lineas quæ magis rectos, ſiue minùs obliquos angulos efficiant: vt experimur in Sole qui in Meridiano circulo poſitus, vehementius inferiora hæc calefacit, ac deſiccat, vaporéſque conſumit, quàm in vlla alia cœli parte. Ex quo apparet in eodem Meridiano

circulo, collocari Zenith, ſiue verticem cuiuſque regionis: cui quidem Zenith, reſpondet è diametro punctum aliud ſub pedibus in oppoſito Meridiano, quod punctum appellatur Nadir.

In eodem Meridionali circulo Aſtronomi ſtatuūt initium diei naturalis, non autem in horizonte, vt vulgus putat. Nam varia fuerunt diei initia apud varias Gentes; Babylonij, quos nunc imitantur Baleares inſulæ, quę dicuntur Maiorica, & Minorica, diem inchoabant ab ortu Solis ad alterum ortum. Athenienſes, quos adhuc omnes Itali ſequuntur, diem numerabant ab occaſu Solis ad alterum occaſum. Ægyptij, & Sacerdotes Romani à media nocte in alteram mediam noctem: quæ conſuetudo adhuc in Eccleſia Romana permanſit. Vulgus diem computat ab ortu Solis ad eius occaſum. Aſtronomi denique à Meridie ad alterum Meridiem diem naturalem computarunt.

Cæterùm Sacroboſcius cap. 2. ſuæ Sphæræ, monet ciuitates, quarum vna magis accedit ad plagam Orientalem quàm alia, habere diuerſos Meridianos; & arcum æquinoctialis interſeptum inter vtramque ciuitatem, dici longitudinem ciuitatum: quod vt intelligas aliquanto altius res eſt ſumenda.

Sciendum ergo quamquam non ſit vnum Oriens, & Occidens, & Meridianus, vt dictum eſt; ſed varij Meridiani: itémque multiplex Oriens, & Occidens, pro varietate regionum: tamen Mathematici propter varios vſus, & menſuras, præſertim ciuitatum, & regionum, conſtituerunt vnum perpetuum Oriens, & hîc eſt finis terræ

habitabilis ex parte Orientis; qualis eſt ex Ptolemæo, Regio Cynarum: item poſuerunt vnum perpetuum Occidens, ſcilicet finem terræ habitabilis ex parte Occidentis, quales ſunt inſulæ Fortunatę, quæ dicũtur Canariæ: item conſtituerunt in iis intermedium vnum Meridianum certum & generalem, æquè diſtantem ab Oriente & Occidente iam ſignatis.

Sciendum ſecundò ex Ptolemæo cap. 6. lib. 1. Geographiæ, tractum terræ, qui eſt ab Oriente ad Occidens, dici longitudinem terræ; tractum verò qui eſt à Septentrione ad Auſtrum, dici latitudinem.

Dices, terra non eſt longior ex hac parte, quàm ex alia; quæ ergo ratio eſt, cur ab hac parte latitudo ſumatur, ab illa longitudo.

Reſpondetur cauſam ſumi ex parte cœli, motúſque Planetarum; hi enim mouentur ab ortu in occaſum, & recedunt nunc verſus Auſtrum, nunc verſus Septentrionem; vt perſpicuum eſt in motu Solis: ille autem motus ab ortu in occaſum, longior eſt; declinatio autem ad Septentrionem, & Auſtrum breuior eſt: quia definitur duobus Tropicis iſtiuſmodi declinatio; inde fit vt cùm nos longiorem partem plerumque vocemus longitudinem, breuiorem autem latitudinem, vt tractum terræ in quo eſt motus longior dicamus longitudinem, alium verò latitudinem.

Hinc ergo intellige longitudinem, latitudinémque quam habent ciuitates ſimpliciter reſpectu mundi, & inter ſe; etenim arcus æquinoctialis interſeptus inter Meridianum vnius ciuitatis, & punctum, ſiue Meridianum inſularum

Fortunatarum, eſt lõgitudo ciuitatis ſimpliciter; vt videlicet diſtet ab occaſu tot gradibus, quot ſunt gradus contenti in illo arcu æquinoctiali, qui intercipitur inter duos Meridianos, cùm deinde conuertẽdo in miliaria, ita vt tribuas cuicunque gradui 53.miliaria, inuenies etiam numerum leucarum quibus diſtat. Item ſi ciuitas declinat ab æquinoctiali verſus Septentrionem, aut verſus Auſtrum.arcus Meridiani proprij interſeptus inter æquinoctialem, & ſuum Zenith, ſeu parallelum aliquem circulum ductum ab Oriente ad Occidens per per ſuum Zenith, dicetur latitudo ſimpliciter ciuitatis; quam variæ ciuitates variam habent, vt videre eſt,in Geographia Ptolemæi. Lutetia enim habet longitudinem 23.graduum, latitudinem verò 48. graduũ, aut circiter. Vbi nota ex latitudine intelligi eleuationem ſiue altitudinem poli, quia videlicet tantum eleuatur polus in vna ciuitate, quantum ipſa diſtat ab æquinoctiali verſus polum, quod eſt maximè obſeruandum.

Eodem prorſus modo ſumitur longitudo, & latitudo vnius ciuitatis reſpectu alterius, vt videlicet, ſi diſtant in eo quod vna ſit Orientalior altera, diſtant ſecundum longitudinem, & menſurabitur ea diſtantia per arcum æquinoctialis interſeptum inter vtriuſque Meridianos: ſi verò diſtant in eo, quod vna ſit Septentrionalior altera, diſtabunt ſecundum latitudinem, & erit ea latitudo arcus Meridiani interſeptus, inter vtriuſque ciuitatis parallelos, qui ducuntur ab Occidente verſus Oriẽs: quòd ſi diſtent ſecundum vtrumque, quod videlicet non ſolùm vna

ſit orientalior altera; ſed in oriente, teneat partem Septentrionalem; alia quæ eſt verſus occidens, teneat auſtralem, tunc menſurabitur vtraque diſtantia alio modi: quia tunc habebunt diuerſos meridianos; quare arcus æquinoctialis, interſeptus inter vtriuſque meridianum, erit longitudo; arcus verò meridiani, interſeptus inter parallelum vnius ciuitatis, & parallelum alterius, in quocunque puncto illius intercipiatur, erit latitudo.

CAPVT. VI.

De Horizonte.

NOMEN ſuum ſortitus eſt hic circulus à voce Græca ὁρίζομαι, id eſt, termino, ſeu finio: eo quod horizon terminet vndequaque aſpectum; adeo vt infra illud nequeamus quidquam intueri. ideo dicitur à Latinis finitor, ſeu finiens. quem quidem breuiter deſcripſerim, terminum hemiſphærij. vt verò & hemiſphæriũ, & eius finitorem circulum melius diſcernas; concipienda eſt mente tota ſphæra recta cum ſuo æquinoctiali, in medio habens hinc inde duos polos in medio terræ cœlique: deinde ducito mente vnum circulum per polos, cingentem cœlum ac terram, & diſtinguentem aduerſam nobis, & quaſi ſubiectam pedibus terræ cœlique dimidiam partem, ab ea in qua verſamur. iam verò cernis circulum hunc ita diuidentem bifariam æquinoctialem, & dimidium, deliteſcens,

ab eo dimidio quod colimus ſecernere : itaque ampliſſimus ille aſpectus, qui quaſi ſuperficies quędam eo terminatur circulo, dicitur hemiſphęrium ; circulus verò ille terminans, & finiens ampliſſimam illam ſuperficiem, appellatur horizon, ſiue finitor.

Eſt autem horizon duplex, rectus ſcilicet, & obliquus, ſiue decliuis : rectus vnicus eſt, quem habent ij, qui æquatori ſubſunt : cùm enim illi habeat ſphæram rectiſſimam, illorum horizon ſecat æquatorem ad angulos rectos ſphærales.

Obliquus autem horizon ille eſt, quem habent ij omnes, qui ab æquatore diſtant, & quibus alteruter polorum eſt eleuatus ſupra horizontem : quandoquidem huiuſmodi horizon ſecat æquatorem ad obliquos angulos ; & hunc obliquũ horizontem nos habemus, eo quod Polus arcticus nobis ſit eleuatus 48. gradibus, quidam addunt tertium horizontem, quem appellant parallelum, qui diuidit ſphæram inuerſam ſiue parallelam, non interſecando æquatorem cui parallelus eſt.

Capvt VII.

De aliis 4. circulis & parallelis.

SVPERSVNT ex fabrica materialis ſphæræ duo tropici, & duo circuli polares ; qui ideo minores appellantur, quòd ſphæram non diuidant in partes æquales, vt ſex illi maiores de quibus antea ; ſed potiùs partem vnam in ſphæ-

ra breuiorem relinquant, & alteram ampliſſimam, eóque ampliorem quo circuli iſti viciniores ſunt Polis. quare duo tropici, non tantam, nec tam breuem ex vtraque parte relinquunt ſphæram, quàm duo circuli polares.

Illi autem duo qui tropici dicuntur, ij ſunt quos deſcribit Sol ſingulis annis motu diurno primi mobilis cùm primùm aſſecutus eſt primum gradum Cancri, & primum gradum Capricorni. qui quidem circuli ſunt inter ſe æquales, quia æqualiter diſtant ab æquinoctiali, nimirum 23. gradibus, & 30. minutis, atque adeo æqualiter à polis mundi. quia autem Sol poſtquam deſcripſit illos circulos qui ſunt ſolſtitiales, reflectitur, & ſeſe conuertit ad æquinoctialem; ideo dicti ſunt tropici à nomine τροπὴ, id eſt, conuerſio. quorum vnus dicitur tropicus Cancri, qui borealibus eſt æſtiualis, item circulus æſtiui ſolſtitij tropicus Septentrionalis: alter verò appellatur tropicus Capricorni, Auſtralis, & nobis Septentrionalibus hyemalis. eos autem Sol deſcribit circulos, contingens in puncto eccIipticam ab æquinoctiali maximè declinantem; ideóque illi circuli ſunt omnium breuiſſimi, quos deſcribit Sol in vniuerſo anno: quamobrem tropici viam Solis annuam includunt: ſunt enim veluti metæ, & carceres extra quos luminare illud magnum nunquam excurrit, intra quos perpetuo defertur, & hactenus à mundi exordio delatus eſt: indicant autem in ecclíptica duo puncta, in quibus ſolſtitia contingunt, Sole habente vtrinque maximam ſuam declinationem.

Sequuntur duo circuli polares, quorum deſcriptio ſedula mentis conceptione indiget. Obſeruandum igitur zodiacum diuidere æquatorem in angulos obliquos, & vtrinque deflectere ab illo verſus auſtrum, & verſus Septentrionem: ita nihilominus, vt propter ſuam obliquitatem, habeat polos differentes à polis mundi, & totidem gradibus ab illis remotos, quot declinat zodiacus ab æquinoctiali, quo poſito moueatur zodiacus. Cum primo mobili cui adhærent poli zodiaci, mouebuntur ipſi poli zodiaci circa polos mundi: quare in diurno circuitu primi mobilis, duo illi poli deſcribent breuiſſimos circulos duos, vnum arcticum, vicinum polo arctico; alterum antarcticum, vicinum polo antarctico, quos vides in ſphæra materiali diſtare à polis mundi 23. gradibus & 30. minutis. Huic perſpicuum eſt appellari circulos polares duplici de cauſa, tum quia deſcribuntur à polis zodiazi diurna reuolutione, tùm quia proximi ſunt polis mundi.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX OMNIVM QVAE IN HOC PHILOSOPHICO Hortulo continentur.

A.

Accidentis natura. 286

Accidentis acceptiones. 44. diuiſiones, & definitiones. 46

Accidens entis ens. 286

Actio prædicamentum quid, & quotuplex. 56

Actio humana quæ ſit, & quotuplex. 189. Principia & cauſæ actionum humanarum. 189. & conſequenter. 197. 198. finis & obiectum actionum humanarum. 189

Actus & potentia tribus modis conſiderantur. 282. eſſe actu, actum, & in actu, quomodo diſtinguantur. 281. 282

Æquipollentia propoſitionum quid, & quotuplex. 70. quomodo fiat. 74. 75

Æquipollentium regulæ. 70. 71

Æquipollentia apud Grammaticos quid. 71

Æquinoctialis ſeu Æquator Sphæræ circulus. 311. 312. cur ita vocetur. 313. Officia Æquatoris. 14. 315.

Affabilitas, ſeu comitas

virtus circa quę verſetur. 236. à quibus extremis recedere debeat. 236
Amicitia propriè quid, quæ eius partes, & officia. 247. 248. 250
Amicitiæ per accidens. 247
Amicitiæ variæ diuiſiones. 248. 249
Amicitiam diſſoluendi legitimæ cauſæ. 249. 250.
Amicus propriè quis. 250
Amoris definitio. 201. quotuplex amor. 201. cauſæ amoris. 201. 202
Amoris effectus. 202. veri amoris 12. conditiones ex Pico Mirandulano. 203
Ampliatio terminorum quid, & quotuplex. 165
Ampliationis terminorum regulæ. 166
Angelus. vide Intelligentia.
Angulus quid, & quot Angulorum ſpecies. 303. 304. 305
Anima quid, & quotuplex. 265. 266
Appetitus quadruplex. 182
Argumentationis variæ appellationes. 89. definitio. 89. ſpecies. 90. vide Syllogiſmus.
Argumentationes topicæ. vide Locus.
Argumentandi partes. 170. & conſeq.
Ab aſpectu libidinoſo continendum docuere Pericles & Cicero. 229
Auaritiæ quanta deformitas. 232
Auaritia prodigalitate deterior. 232
Audacia paſſio quid. 212. qui maximè audaces, & è contrà. 213
Axis quid Geometris. 300

B.

QVÆſit in via hominis beati-

tudo. 183. & ſequ. cauſa efficiens huius Beatitudinis. 186. quomodo intelligẽdus Ariſtoteles dicens: Beatitudinem ſitam in bonis honorabilibus; non verò in laudandis. 187.188

Bonitas entium in quo conſiſtat. 281

Bonum eſt quod omnia appetunt. 181. 280

Bonum & finis in moralibus conuertuntur. 181

Bonum triplex. 182. aliæ item boni diuiſiones. 187. ſummi boni proprietates ex mente Ariſtotelis. 184

Bonum eſt voluntatis obiectum. 196. vide Homo.

C.

CATEGORIÆ nomen vnde. 46

Categoriæ acceptio multiplex. 46. & ſequent. definitio. 47. vtilitas. 47.

Cœlorum numerus, 261

Cauſarum quatuor genera. 135. earum ſubdiuiſiones, & qua ratione ex iis topica deſumantur argumenta. ibid. & ſequent.

Cauſæ phyſicæ quot. 258

Centrum quid. 297. 308

Circulorum Sphæræ numerus, & proprietates. 311. & ſequent.

Ciuitatum longitudo & latitudo vnde ab Aſtronomis petatur. 326. & ſequ.

Clementia. vide Manſuetudo.

Colurus vnde dictus. 321

Coluri duo. 321

Colurorum vſus. 322. 323

Comitas. vide Affabilitas.

Concretum nomen duplex. 128

Coniugata triplicia. 128

Conſequentiæ ſeu conſequutionis definitio, & ſpecies 84. & ſequent.

Conſequentiæ veræ & legitimæ præcepta. 86.87. diſcrimen inter conſequentiam & conſequens, ſeu concluſionem. 91.& 172

Couuerſio propoſitionis quid ſit. 66. quotuplex. 67. regulæ. 68.69

duo in Conuerſione ſeruanda. 69

Contingens & neceſſarium modi entis. 284 & ſequent.

Corporum variæ ſpecies apud Geometras. 306.307

Corpus ſpecies quantitatis. 51.305

Cylindros quid. 307

D.

DAre. vide Liberalitas.

Definitionis definitio. 123

Definitio alia eſſentialis, alia deſcriptiua. 34.124. quæ ad perfectam ſeu eſſentialem definitionem requirantur. 123.124 quæ item ad deſcriptiuam. 124. modus rei alicuius definiendæ. ibid.

Delectatio quid, & quotuplex. 205. cauſæ delectationis. 206

Deliberatio quid, & de quibus fiat. 195.

Demonſtratio quid, & quotuplex, 117

Deſiderium quid, & quotuplex. 204

Deſperatio paſſio quid. 212

Deus ens maximè neceſſarium. 285. libertas Dei non obeſt eius eſſe neceſſario & immutabili. 285. quidquid in Deo, Deus. 292

Deus non reponitur in Categoria. 287

Deus

Deus vbique præſens. 291. 292. actionum Dei aliæ immanentes, aliæ tranſeuntes. 292. triplex agnoſcendi Deum via ex D. Dionyſio. 289. 290. conceptuum diuerſitas quos de Deo formare poſſumus. 289. variæ & perdoctæ Dei deſcriptiones. 290. 291 aliqualem de Deo notitiam lumine naturali habere poſſumus. 288. 289. quibus rationibus. 290. perfectam de Deo notitiam habere non poſſumus, niſi lumine naturali nobis infuſo: imò nec cum eo, niſi per ſpeculum & ex parte. ibid. ſolus Deus ſeipſum comprehenſiuè cognoſcit. 289

Deus ſolus ſapiens, homines verò ſtudioſi ſapientiæ. 5

Deus Philoſophiæ inuentor & doctor. 9

in Deo tria operationum genera, quæ Philoſophus imitatur. 7

Dialecticæ acceptiones. 14. 15

Dialecticæ duæ partes. 120.

Diameter & Diagonalis lineæ ſpecies. 300

Variæ dierum auſpicandorum rationes. 326.

Dies naturalis & artificialis quomodo differant. 325

Differentię diuiſiones. 37. & ſeq.

Differentiæ Logicæ definitiones. 40. 41. Officia. ibid.

Dilemma, argumentatio rhetorica, & eius definitio. 94

Diſſimulatio quę vitioſa, & quæ non. 237

Diſtinctionum quarundam explicatio. 173. Realiter & formaliter, & ratione. 173. 174. Per ſe, & per accidens. 174.

Subiectiuè, & obiectiuè. ibid. Primò intentionaliter, & ſecundò intentionaliter. 175. Formaliter & virtualiter. ibid. Actu, vel potentia, ibid. in actu ſignato, & in actu exercito. 176. ſecundùm nos, & ſecundùm naturam, ibid. vt quo, & vt quod. ibid. ſubiecti inhæſionis, & denominationis. 176. metaphyſicè & moraliter. 177. ſimpliciter, & ſecundùm quid. ibidem. Adæquatè, & inadæquatè. ibid.
Diſtinctio à natura rei quæ ſit. 284
Duplex. ibid.
Diſtinctio rationis item duplex. ibid.
Diſtributiuè, vel collectiuè accipi quid ſit. 158 & ſeq.

E.

EBRIVS. vide Spes.
Electio quid in actibus humanis, & quomodo à cupiditate, ira, volũtate, & opinione differat. 193. 194
Elementorum definitiones & proprietates, 260. & ſeq. eorum mixtio, alia perfecta, alia imperfecta, 262
Ens quatenus ens, obiectũ Metaphyſicæ, eius principia, partes, & proprietates. 268. 278. & ſeq.
Ens analogum ad ſubſtantiam & accidens. 286
Enthymematis definitio. 92
Entis variæ acceptiones. 269. 270. Diuiſiones. 271. 272. modi. ibid. & ſeq. principia. 274
Entitatis varia acceptio. 278

Enuntiationis definitio. 57. partes. 58. affectiones. 59. diuiſiones. 60. & ſeq. proprietates. 62. & conſeq. triplex enuntiationum materia. 65. de enuntiationibus oppoſitis. 63. & ſeq. de enuntiationibus conuertibilibus. 66. & ſequent. de enuntiationibus æquipollentibus. 70. 71. de enuntiationibus modalibus. 71. & ſeq. de enuntiationibus hypotheticis. 76. & conſeq. de enuntiationibus exponibilibus. 79. & ſeq.

ἐντελέχεια quid. 245

Eſſe actu, vel potentia; eſſe actum, vel potentiam; eſſe in actu, vel potentia, quomodo differant. 281. 282.

Eſſentia quid. 274.

Eſſentiæ diuiſio. 275.

Eſſentia, quidditas, & natura quomodo differant. 275

Ethica. vide Philoſophia moralis.

Exemplum qualis argumentatio. 93

Exiſtentia quid, 276 qua ratione ab eſſentia diſtinguatur. ibid.

Exiſtentiæ diuiſio.

F.

FALLACIÆ. vide Sophiſta, & Sophiſma.

Falſitas in Metaphyſicis quid. 280

Felicitas hominis. vide Bonum & Beatitud.

Feſtiuitas virtus moralis circa quæ verſetur. 238. extrema in ea cauenda. 238

Figura ſyllogiſtica quid. 96. primæ figuræ modi. 98. 99. ſecundæ. 100. tertiæ. 101. generales & communes figurarum leges. 102. &

ſeq. regulæ ſpeciales cuiuſque figuræ. 105.
de Figuris Geometricis. 304. & ſeq.
Forma, principium phyſicum. 257
Fortitudo quid, & quæ eius ſpecies. 226. proprietates. 228.
Fortis viri officium. 227
medium in Fortitudine tenendum. 227. 228
Fortitudinis apparentis & impropriæ quinque ſpecies. 228
Fuga in moralibus, quid. 205

G

Genera ſuprema non poſſunt exactè definiri. 49
Generatio foſſilium, ſeu lapidum & metallorum quomodo in terræ viſceribus fiat. 263. 264
Genus quot modis vſurpetur. 32. 33
Genus vniuerſale logicum. ibid.

H

Habere, vltimum prædicamentum quid. 57
Hemiſphærium quid ſit. 307. Hominis in poteſtate ſitum, vt ſit bonus, vel malus. 196. contrarium aſſerentibus reſpondet Ariſtoteles. 197
Horizon quid, & eius officium. 329
Horizon alius rectus, alius obliquus. 330
Humanæ mentis ad diuina intelligenda debilitas. 288
Hypoſtaſis. vide Suppoſitum.
Hypotheticæ propoſitionis definitio. 76. ſpecies. ibidem. & conſeq.

I

Idea ſeu exemplar quid. 259

Ignorantia triplex. 182 & ſeq.
quæ Ignorantia faciat inuoluntarium. 193
Incontinens quis. 247
Incontinentia duplex. ibid.
Indiuiduum quid, & quotuplex. 36
Inductio argumentatio, 92. quotuplex. 93.
Inhærentia quid, & quotuplex. 277
Iniuſtus quis propriè dicatur 242. 243
Intelligentiæ quænam ſubſtantiæ. 293. 294
Intelligentias eſſe lumine naturali agnouit Ariſtoteles, & earum exiſtentia ratione probatur. 293. 294
Ingens intelligentiarum, ſeu Angelorum numerus. 295. earum Hierarchiæ, & ordines. 295. officia. ibid.
quot Intelligentiæ, ſeu Angeli, tot eorum ſpecies. 295
Intemperantiæ turpitudo. 230
Inuidia quid, & quot modis contingat. 208
Inuoluntarium quotuplex. 190
Iocus & ludus quomodo differant. 238
in Iocis tria cauenda, 238. 239
Ira, paſſio, & eius ſpecies, 217. cauſæ. 218 effectus. 218. 219 remedia. ibid. quomodo ab iracundia differat. 235
tres Iracundiæ ſpecies. 235
Ius quotuplex. 243. 244
Iuſtitia duobus modis ſumitur. 239
Iuſtitia virtus ſpecialis diuiditur in diſtributiuam & commutatiuam. 239

L.

LIBERALITAS quæ virtus, eius officia, & proprietates. 231. præſtantius dare, quàm accipere.

231. medium in liberalitate ſeruādum. 232.
Libertas. vide Voluntarium.
Libertas Dei. vide Deus.
Linea quid, & quotuplex. 51.300.301
Linea Zodiaci latitudinem æqualiter ſecans cur ecliptica dicta. 318.319.
Locus ſedes argumenti duplex; Maxima, & differentia Maximæ, 121. quot vtriuſque genera. 121.122
Loci topici. 123.& ſeq.

Locus.
- à definitione. 123. & ſeq.
- à diſtributione. 125.126.
- à notatione. 127
- à coniugatis. 128. 129.
- à toto & partibus, 129. & ſeq.
- à genere. 132
- à ſpecie. 133
- à proprio. 133. & ſeq.
- à cauſis. 135.& ſeq.
- ab effectis. 141
- ab antecedentibus & conſequentibus. 142.
- à præcedentibus, comitantibus, & ſubſequentibus. 142
- à ſimilibus. 143
- à maiori & minori. 143
- à paribus. 144
- à diſſimilibus. ibid.
- à repugnantibus. ibid.
- ab auctoritate. 147

M.

Magnanimitas virtus quid. 233 ab extremis eius cauendum. 234
Magnanimi proprietates. 234
Magnificentia in quo conſiſtat. 232. in quibus differat à liberalitate. 233
Medium in ea tenendum. ibid.
Malum aliud naturale, aliud artificiale, aliud morale. 281

Manſuetudo ſeu clementia quid, quæ eius extrema. 235 officium. 235
Materia, principium phyſicum. 257
Materialiter & formaliter. vide Diſtinctio.
Mediocritas virtutum conſeruatrix. 222
Medium tenere difficillimum. 224.225. vnde hæc difficultas. 226. Regulæ Ariſtotelis ad medium, in quo virtus conſiſtit indagandum. 226
Medium ſyllogiſticum trifariam poteſt cum extremis coniungi. 97. de inuentione medij ſyllogiſtici regulæ. 113. & ſeq.
Mendacij tres ſpecies. 237.
Mentis noſtræ ad ea quæ Dei ſunt intelligenda debilitas. 288
Meridianus circulus in ſphæra. 323
Meridianus multiplex pro regionum varietate. 323
Meridianus vnus pro ſpatio 24. leucarum gallicarum ſufficit. 324
varia Meridianos numerandi ratio. 324
Meridiani vſus, & officia. 325
Metaphyſicæ ſupra alias naturales ſcientias eminentia & principatus. 267. variæ eius appellationes & encomia. 267. 268. eius obiectum & officia. ibid.
Meteororum materia, efficiens, finis, locus, varietas. 262. 263.
Miſericordię definitio. 207.
perfectè Mixtorum alia animata, alia inanimata, 264. & ſeq.
Modeſtia virtus quid. 234. à quibus extremis modeſtus cauere debeat. 235
Modalium propoſitionum partes. 73
Modi ſyllogiſmorum,

alij directi, alij indirecti. 97
Modus in propoſitionibus quid, & quotuplex. 72
Modus generatim ſumptus quid. 272
Mortis meditatio Philoſophia. 7

N.

NAdir punctum Zenith ex diametro oppoſitum. 326
Neceſſariũ aliud quoad eſſe, aliud quoad fieri. 284. vide Contingens.
Nomen quid apud Logicos. 58
Nomen abſtractum duplex, vti & concretum. 128
Nominum affectiones ex Ariſtotele. 155. & ſequent.

O.

ODii natura. 203
Oppoſitionis definitio. 63. ſpecies. 64. regulæ. 65
Oppoſitorum quatuor genera. 145
Oriens & Occidens vnicum Mathematicis. 326. 327

P.

PArallelvs. vide linea.
Partium diuerſæ ſpecies. 130
Paſſio prædicamentum quid. 56
Paſſio in moralibus quid. 199
quot Paſſionnm ſpecies. 200
cauſa efficiens Paſſionum. 200. ſubiectum. ibid. finis. 201
Paſſiones entis mobilis ſeu corporis naturalis. 259
Perſona & perſonalitas quid ſint. 277
Philoſophiæ laus ex S. Iuſtino. 2
Philoſophia ſuos poſſeſſores

ſeſſores ſanctificat. 2
Philoſophiam ambienti tria neceſſaria. 2. & 3.
Philoſophiæ nomenclatura. 5
Philoſophiæ nominis auctor Pythagoras. 5
Philoſophiæ acceptiones. 6. definitiones. ibid. & ſequ.
Philoſophia mortis meditatio. 7. & 8
Philoſophiæ partes. 10
Philoſophiæ moralis acceptiones. 178. ſpecies. 179. finis. ibid. cauſa efficiens. 180
Philoſophus Deo ſimilis. 7
Deus Philoſophiæ inuentor & doctor. 9
Phyſicæ appellationes. 252. eius obiectum. ibidem.
Polares circuli. 332
Poli duplices, Spheræ & circ lorum. 297
Poli arcticus, & antarcticus. 298
Poli Zodiaci. 298
Poli Horizontis. ibi.
Poli contactus duplicis generis. 299
eſſe Potentiâ, potentiam, & in potentia, quomodo differant. 281. 282
Potentiæ diuiſio in actiuam, paſſiuam, obiectiuam, & obedientialem. 282. 283
Prædicamentum. vide Categoria.
Principium quid, & quotuplex. 273. & ſequent.
Principia Phyſica alia ſimplicia, alia complexa. 254. ſimplicia. 256. 257. complexa. 254. & ſequ.
Principia Geometrica quot, & quænam ſint. 296
Priſma quid. 307
Priuatio quid in Phyſicis. 257
Proportio alia geometrica, alia arithmetica. 240
Propoſitio. vide Enunciatio.
Propoſitiones in Syllogiſmis duæ, maior & minor. 95. 96

Proprij prædicabilis acceptiones, definitiones, & diuiſiones. 41. & ſequent.
Proprium prout ſumitur in topicis, vnum eſſentiale, aliud accidentarium. 134. prudentiæ laus. 245. 246 eius definitio. 246. partes. ibid. nemo Prudens niſi bonus, 246
Punctum aliud mathematicum, aliud phyſicum. 297
Puncta interſectionum in Sphæra. 299
Pyramis quid. 307

Q.

QVÆSTIO ſiue problema quid. 119. quotuplex. 120
Qualitatis definitio. 54. ſpecies. ibid. & ſequent. proprietates. 55
Quando prædicamentum quid, eiúſque differentiæ. 57
Quantitatis definitio. 50. ſpecies & diuiſiones. 50. & ſequ. proprietates. 52
Quantitas & qualitas propoſitionis quid ſint. 59. 73. 74. 77.

R.

RATIOCINATIO. vide Syllogiſmus.
Reductio ſyllogiſmorum. vide Syllogiſmus.
Relatio quid. 52
Relationis diuiſiones. 53. proprietates. 54
Reſpondentis in diſputationibus partes. 171. 172
Rhombus & Rhomboides figuræ. 305
Riſus quid; & cur qui ſub axillis tanguntur, facilè rideant. 207

S.

SAPIENS quis verè cenſendus ex Ariſtotele. 268. 269

de Senſu diuiſo & compoſito regulæ. 152
Signum quid ſit ex D. Auguſtino. 20
Signorum diuiſiones. 20
de Signis enuntiationes afficientibus. 61
Situs partium in ordine ad ſe, & in ordine ad locum quomodo diſtinguantur. 51.52
Situs prædicamenti definitio. 57
Sophiſmata quibus ex locis depromantur. 149. & ſequ. Quomodo deprehendi,& ſolui poſſint. ibid.
Sophiſtarum quinque fines. 148
Sorites qualis argumentatio. 94
Speciei acceptiones, & definitiones. 35. diuiſiones. 35.36
Spes quid. 211. eius ſubiectum. ibid.
Spei paſſione cur ebrij & iuuenes plurimùm moueantur. 212
Sphæræ diuiſio in naturalem & artificialem. 309
Sphæræ partes. vide Circulus.
Spirarum variæ ſpecies. 301
Status affectio terminorum quid, & quotuplex. 164
de Subiecto inhæſionis & denominationis. 176
Subſiſtentia quid. 277
Subſtantiæ varia acceptio. 48. diuiſio. 50. 287. proprietates. 50
Subſtantia omni prioritate prior & nobilior accidente. 286. 287
Superficies quid, 302. variæ eius ſpecies. ibid.
Suppoſitio quid, & quotuplex. 155. & ſequent.
Suppoſitum. vide Subſiſtentia.
Syllogiſmus quadruplex, pro quadruplici materia, ad quam eius forma contrahi poteſt. 116. & ſequ.

Syllogiſmi definitio. 90. materia. 95. 96.
Syllogiſmi alij perfecti, alij imperfecti. 106. qua ratione imperfecti ad perfectos reducendi. 106. & ſequent. vide Figura Syllogiſtica.

T.

TEMPERANTIA quid, quæ eius ſpecies. 229. officia. 230
Termini acceptiones. 16. & ſequent.
Terminorum dialecticorum diuiſiones. 18. & ſequent.
Terminorum ampliatio quid, & quotuplex. 165
Terminorum ſtatus quid, & quotuplex. 164
de Terminorum diſtractione & reſtrictione. 167. de alienatione, diminutione, & appellatione terminorum. 168. de ſuppoſitione terminorum. 155. & ſeq.
Termini quot ad ſyllogiſmum deſiderentur. 96
Terminus ad quantitatẽ pertinens, quid. 51
Terminorum quorundam diſtinctiuorum, quorum frequens in ſcholis vſus, explicatio. vide Diſtinctio.
Theorema quid. 120
Timoris definitio. 214. ſpecies. ibid. cauſa præcipua. ibid. quænam timorem augeant. 215
Timoris effectus. 215 216
Totum quotuplex. 129. 130
Triſtitiæ definitio. 207 ſpecies. ibid. cauſæ. 208. effectus. 209
Triſtitia præ cæteris paſſionibus nocet corpori, & quare. 209. remedia ad tollendam triſtitiam. 310
Tropici duo. 331

V.

VBI prædicamentum quid, & quotuplex. 56 eius differentiæ. 57
Verbum apud Dialecticos quid ſit. 58
Veritas ſeu veracitas virtus in quibus conſiſtat. 237. à quibus extremis ei cauendum. ibid.
Veritas entium quid, & quot modis in iis exiſtat. 279.280
Vitiorum triplex ſtatus. 246
Virtutis definitio & laus. 220.224
Virtutum genera. 220
Virtus circa arduum verſatur. 222 quid ad perfectam virtutis actionem requiratur. 223.
Virtus in medio, ſeu mediocritate conſiſtit. 222. & ſeq.
Vnitas quid, & quotuplex. 279.280
Vniuerſale quid, & variæ eius acceptiones. 27. 28. definitiones. 29. quæ ad vniuerſale logicum requirantur. 29.30
Voluntarium quid & quotuplex. 190. quomodo à libero differat. 191
Voluntatis obiectum, bonum. 196

Z

ZENITH punctum verticale. 326
Zodiacus ſphæræ circulus. 316. vnde ita dictus. 316
Zodiaci ſigna eleganter à Manilio deſcripta. 318
Zodiaci vſus & officia. 319. 320.

FINIS.

Mendarum typographicarum emendationes.

Menda.	*Emendationes.*
Pagina 19. linea 14. habens.	habent.
P. 22. l. 16. Caius.	canis.
P. 31. l. 12. à fine. rationalem.	rationem.
P. 71. l. 7. à fine. Quod.	quot.
P. 152. l. 20. poteſt priores.	poteſt ad priores.
P. 153. l 22. addictum.	ad dictum.
P. 157. l. 2. à fine, ſicut.	ſunt.
P. 162. l. 19. communem I. transferunt.	communem transferunt.
P. 169. l. 12. à fine. vni cum.	vnicum.
P. 174. l. 10. à fine. calet.	callet.
P. 197. l. à fine. auſis.	anſis.
P. 202. l. 9. à fine. intendens.	intendentem.
ibid. l. 5. à fine. quæ.	quâ.
P. 210. l. 6. diſputationem.	deſperationem.
P. 220. l. 2. in quid.	quid.
P. 256. l. 1. mobilis.	mobilem.
P. 287 l. 19. completa conſtant.	completa, conſtans.
P. 296. l. 4. à fine. finitur.	definitur.
P. 315. l. 11. vbi circulo.	vbi de circulo.

SVMMA PRIVILEGII.

LVDOVICI XIII. *Galliæ & Nauarræ Regis authoritate cautum eſt, ne quis in Regno ſuo intra proximos nouem annos excudat, vendátque librum qui inſcribitur* Hortulus Philoſophicus, *&c.* Authore R. P. F. A. D. *præter Sebaſtianum Cramoiſy Bibliopolam Juratum Pariſienſem, aut illos quibus conceſſerit, ſub pœnis originali diplomate contra delinquentes expreſſis.*

Approbatio R. P. Generalis.

FRATER Franciſcus à Longobardis ordinis Minimorum Corrector Generalis. Dilecto nobis in Chriſto Patri Fratri Antonio Dupro Inſtituti noſtri Sacræ Theologiæ Profeſſori, & Concionatori, Salutem. Nos qui pridem præclaras animi tui virtutes ac ingenij dotes nouimus, harum ſerie vt tuas in vniuerſam Ariſtotelis philoſophiam, & ſummam Doctoris Angelici Theologicam lucubrationes in lucem edere ac typis mandare valeas, facultatem libenter facimus, atque ad meritum ſanctæ obedientiæ conſequendum præcipimus, modò à duobus noſtri Ordinis Theologis à Reuerendo Patre Prouinciali noſtræ Prouinciæ Franciæ aſſignandis approbentur. Datum Romæ in noſtro Sanctiſſimæ Trinitatis Cœnobio 7. Kalendas Maij 1632.

F. FRANC. A LONGOBARDIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

- AGO. 1971
Santin O.
Restauro
del Libro

SOCIETATIS·IESV·COLLEGII·ROMANI·
IHS